This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

## Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

## About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600005893V

3214

# DE
# PHILIS INSULA

## EIUSQUE MONUMENTIS
## COMMENTATIO.

SCRIPSIT
**G. PARTHEY, Dr.**

*Accedunt duae tabulae aeri incisae.*

BEROLINI,
PROSTAT IN LIBRARIA FR. NICOLAI.
1830.

942

CAROLO RITTERO

PRINCIPI IN GEOGRAPHIA

CUIUS

AUCTORITATE ET CONSILIO

HIC LIBELLUS CONFECTUS EST

D. D. D.

SCRIPTOR.

# PROOEMIUM.

De Philis insula, in Aegypti et Aethiopiae confiniis sita, scripturi multorum vituperationem nos haud vitaturos esse scimus, qui post Francogallorum expeditionem Aegyptiacam illarum regionum descriptionem absolutam esse contendant. Quapropter brevis notitia praemittenda est de iis, quae in magno expeditionis Gallicae opere ad Philas pertinent.

Narrationem habemus Lancreti, in ipsa Aegypto praematura morte erepti, luculentam quidem, sed non ad finem perductam. Initium tantum a scriptore recognitum est, maxima operis pars, fragmentis ut primum scripserat constans, cum pau-

cis additamentis, aliorum cura, ut qui defuncti memoriam pie colerent, in lucem prodiit *). Quare nobis in hac dissertatione, de insula illa observationes nonnullas proferentibus, nullum aliud consilium fuit, nisi ut iis, quae publici juris jam facta erant, supplementa quaedam adjiceremus, omniaque dilucide collata lectoribus ante oculos proponentes, notitiam monumentorum, quibus insula condecorata est, absolutiorem exhiberemus. De aetate quoque templorum inde ex illius expeditionis tempore opinio diversa exstitit, ut hanc rem denuo investigare operae sit pretium.

Insulae tabulam elegantissimam descripserunt Coraboeuf, Devilliers, Jollois et St. Genis, quam tamen non solum in nonnullorum templorum situ minus accuratam, sed etiam in soli configuratione magna incuria factam esse animadvertimus. Singula Philarum monumenta (Antiquitatum Vol. I. inde a tabula 1 usque ad tab. 29) eximia arte exarata, signa hieroglyphica solertia haud vulgari perscripta et aeri incisa, nonnunquam coloribus nitidissime ornata sunt; — eamque operis partem

*) Lancret Déscription de l'ile de Philé, pag. 29.

maximi pretii esse neque ullo modo facile superari posse, omnes harum rerum periti consentient. Tabulam I. opusculo nostro adjectam, Gallica tabula non adhibita, nos delineavimus, quacum omnino congruit; utraque insulae formam praebet eandem, neque nisi in minutiis quibusdam differentiam invenimus, loco suo a nobis notatam. Medium fluminis auctum adhibuimus, qualis esse solet mensi Augusto vel Januario. Pro nostrae tabulae magnitudine dimensiones nostras satis accuratas esse perspeximus.

Quas in tabula II. formas expressimus, ex magno apographorum nostrorum numero selectas, ad descriptionem illustrandam necessariae sunt.

De rebus architectonicis ea tantum monuimus, quae accuratis mensuris definita ad generalem artis Aegyptiacae cognitionem constituendam valent; aliis peregrinantibus incitamentum fore speramus ad mensuras certiores eruendas, ut, multorum templorum comparatione habita diligentiore, de singularum partium ratione pronunciare liceat, quas mensuras, a nobis neglectas, in expeditionis Gallicae opere frustra quaesivimus.

Ceterum non possumus, quin amicissimis itineris sociis gratiam referamus ob summam liberalitatem, qua in edendis tabulis, quas conjuncti conscripsimus, votis nostris obtemperaverunt. Cujus benevolentiae sciant nos semper memores esse futuros. Utinam pauca, quae de pulcherrima insula allaturi sumus, grato animo excipiant, et felicissimos dies, quos ibi commorati sumus, hanc scriptionem perlegentes in memoriàm reducant!

# Pars I.

## *Monumentorum Philensium descriptio.*

Pars I. *Elephantine et Philae.*

Sub vigesimo quarto latitudinis borealis gradu, Nilus a meridie septentrionem versus decurrens, arenosas montium fauces, transverso tractu objectorum perfluit, unde per cataractam Syenensem, quae a mari interno procedentibus prima dicitur, cum aliquo aquarum impetu delabitur. Ex magno insularum numero, quibus hoc loco fluminis alveus dirimitur, Elephantines et Philarum nomina clarissima sunt; quarum altera, Elephantine, e regione Syenes, in inferiore, altera, Philae in cataractae summa parte prominet. Distant inter se duabus legis gallicis, qua mensura cataractae longitudo et montium latitudo satis accurate indicantur; via in litore orientali vel arabico, expedito pediti facile duabus horis conficitur. Elephantines monumenta, cum per tot saecula temporum injuriae obstetissent, nostris die-

PARS I. bus fere omnia ceciderunt *), Philarum autem templa, favente fortuna, magna ex parte integra nobis servata sunt.

*Philarum situs.* Jam primum, ut nostrorum geographorum more, insulae situm accuratius definiamus, notandum est, ejus latitudinem borealem esse 24° 3′ 45″, longitudinem orientalem Paris. 30° 33′ 46″. Sequimur viri doctissimi Noueti dissertationem in Commentationibus aegyptiacis (Mémoires sur l'Egypte an x. 1801. II. p. 237.) ubi subtilior computatio astronomica in usum vocata est, etsi exercitus Franco-Gallici inscriptionem in magno Philarum pylone, quem vocant, legere meminimus, quae latitudinem 24° 1′ 34″ longitudinem 30° 34′ 16″ ponit **).

*Nili litus occidentale* Litus Nili occidentale e Philarum regione multo majoris est altitudinis, quam elatissimae insulae partes. Tamen propter magnam arenae copiam, e Libyae desertis adportatam, minus praeruptum apparet, quam quod oppositum est litus. Ubicunque rupes disjectae, nigro colore imbutae, variis scopulorum formis, in altum efferuntur, inter quas arena libyca, cum sensim paulatimque intervalla omnia repleverit, usque ad Nilum progrediens, ne pediti

*) Auctor tantae monumentorum jacturae fuit Mohammedusbey, qui circa annum MDCCCXVIII. praefectus Syenen missus, omnia Elephantines templa diruit, et in calcem dissolvit. Idem ille barbarus, pari usui numerosas Antinoës columnas, Hadriani tempore collocatas, magno antiquitatis detrimento evertit.

**) Eosdem numeros, minus accuratos, tabulae geographicae (anni 1818) praepositos in Descriptione Aegypti Antiqu. vol. v. reperimus.

quidem viam relinquit, quare nuntiis, ab Aegypto superiore Nubiam et remotiores regiones petentibus, is itineris ordo praescriptus est, ut ad Syenen dextrum Nili litus relinquant, in sinistro vero, per montes incultos de Nilo usque ad oppidum nubiense Debode declinent. *Pars I.*

*et orientale.* Litus orientale prope fluvium in magnam planitiem expanditur, e longinquo montibus inclusam. Prope aquam Nubarum habitacula nonnulla, limo negligenter exstructa sunt, agris paucissimis circumjacentibus. Rotarum genere hydraulicarum, quas Saqias vocant, utuntur incolae ad efferendam Nili aquam, siccis anni temporibus *). Montes in hac litoris parte speciem praebent rupium, ex disjecta multitudine in altum congestarum; lapis graniticus, cum propter aëris siccitatem plantarum radices non patiatur, in regionibus, Philis circumjacentibus, plane nudus est; in arena calida, agris contigua, carices rarissime reperiuntur.

*Insulae prope Philas.* Nilus, a meridie procedens, Philis relictis, an-

*) Tantum rotarum numerum in nullo flumine reperiri putamus, nisi in Nilo, qui solus in Aegypto, cum rarissime pluvia effundatur, irrigationem praebet agris. In Aegypto superiore et tota Nubia magnus Saqiarum numerus cernitur, quae omnes una eademque ratione sunt constructae. Paremque aquae copiam unamquamque rotam praebere campis experientia docuit, ita ut in censu agendo, ex Saqiarum numero de agrorum magnitudine et reditu judicetur. Burckhardtus, viator longe accuratissimus, inter primam et secundam cataractam, inde a Philis ad Wadi-Halfam 600 ad 700 Saqias se numerasse refert. cf. Travels in Nubia p. 137.

Pars I. gulo recto occidentem versus flectitur *), et in remotiores cataractae scopulos immittitur. Prope Philas, Africum versus duae insulae majores sitae, quae tamen ad aedificanda templa partim magnitudine, partim soli inclementia locum minus aptum offerunt; non mirum igitur videatur, in Philis propter soli planitiem priscos homines aedificia exstruere maluisse. Minor insula, quam Bageh incolae vocant, parvi templi vestigia in litore orientali exhibet, cetera pars saxis repleta est; in media insula nudae rupes in altitudinem fere ducentorum pedum extolluntur, quarum cacumina horrenda in praeceps ruenti comparari possunt. Major insula, cui Hesseh nomen, prope fluvium in litore meridionali casas Nubarum, stramentis tectas habet, reliqua pars nihil nisi saxorum acervos cumulatos offert, domibus aedificandis minime idoneos; nulla ibi antiquitatis vestigia. Philarum solum, saxosum quidem, modica tamen altitudine Nilo prominens, aream satis planam templis condendis praebet.

*Philarum prospectus pulcherrimus.* Si paullo longius in describendis regionibus insulae circumjacentibus commorati sumus, id ideo factum est, quod montium vicinorum sterilitas Philarum conspectum, imprimis amoenum reddit. A quoquo latere appropinquaveris singulari amoenitate sese commendat insula, maxime autem a Syene accedenti. Duarum fere horarum via est in valle arenosa; postquam sepulcra arabica prope Syenen reliqueris, mu-

---

*) cf. Déscript. de l'Égypt. I. pl. 30 et C. Ritter & O'etzel Karten und Pläne I. pl. 3.

rus latericius viae indicium est; propiora montium cacumina, in quibus nulla cernitur varietas, viatoris oculos sterilitate sua fatigant; ex improviso tandem ubi via ad dextram flexa est, o spectaculi magnificentiam, Philarum pylones ingentes et peristylia, intermixtis palmis et cassiis viridibus, a placido circumfusa Nilo, ante oculos posita sunt, gemmae pretiosae similia, quam artifex elegans lucido argento circumdedit. Quotiescunque viam inde a Syene ad Philas perficiebamus, insulae adspectus singulari quadam laetitia et admiratione nos afficiebat, quamquam affirmare nolimus, utrum ipsius insulae amoenitati an montibus circumjacentibus sit adscribendum. Accedit, quod montes vicini, lapide granitico, coloris atri et nigricantis sunt, fulvi autem nitidissimi insulae monumenta, utpote lapide calcario exstructa; quibuscum si Nili caeruleum aequor, coelique immutabilem claritatem conjunxeris, Philarum conspectum reliquis Aegyptiacis omnibus anteponere haud dubitabis.

*Philae, olim Aethiopicum sacrarium.*

Scriptorum testimoniis, quibus constat, Aegypti quidem fines meridianos in Elephantine et Syene positos esse, nihilo autem minus insulam nostram, propinquo Osiridis sepulcro memorabilem, inter ipsius Aegypti sacraria summae laudis fuisse, cum illo Philarum situ a prima cataracta meridiem versus, accurate collatis, jam exoritur quaestio, cur templa in loco tam incommodo posuerint sacerdotes, cum insula inde ab Aegypto non scaphis, sed via tantum pedestri eaque molestissima adiri possit; neque a re alienum est monere eam longo intervallo ab

Aegypti urbibus primariis, Thebis et Memphi adverso flumine disjunctam fuisse, Aethiopumque incursionibus maxime expositam. Quae quidem difficultas facile removetur, si primis temporibus, quibus Nili litora accolis repleta, et templa posita sunt, Philas Aethiopiae addictas fuisse statuerimus, id quod terrae natura paullo accuratius considerata, verisimile videtur.

Agrorum culturam una cum Diis a meridie septentrionem versus Nili cursum quasi ducem secutam esse, neminem fugiet, qui Aegyptiacae historiae vestigia cum monumentis comparaverit *), quam in

---

*) Heeren Opp. hist. XIV. p. 108. sqq. Indicam esse Aegyptiorum et Aethiopum originem, disertis verbis declarat Jarchus rex apud Philostratum in vita Apollonii (III, 20.) cujus auctoritas non plane rejicienda nobis videtur: *Ἦν τοίνυν χρόνος, ὅτ᾽ Αἰθίοπες μὲν ᾤκουν ἐνταῦθα* (in India) *γένος Ἰνδικόν· Αἰθιοπία δ᾽ οὔπω ἦν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ Μερόην τε καὶ Καταδούπους ὥριστο Αἴγυπτος, αὐτὴ καὶ τὰς πηγὰς τοῦ Νείλου παρεχομένη, καὶ ταῖς ἐκβολαῖς ξυναπολήγουσα· ὃν μὲν δὴ χρόνον ᾤκουν ἐνταῦθα οἱ Αἰθίοπες ὑποκείμενοι βασιλεῖ Γάγγῃ* — — quo sermone obscurius significatum est Aegypti culturam a meridie septentrionem versus progressam fuisse. Si enim Indica gente oriundi fuerunt Aethiopes, praeter Nili cursum nulla alia via Aegyptum colonis implere potuerunt. — Alia coloniae indicae mentio apud Georgium Syncellum (ed. Venet. 120. Dindorfii I, 286.) spuria nobis videtur, cum res Aethiopum toto libro non amplius commemorentur. Duo versus:

*περὶ Αἰθιόπων πόθεν ἦσαν καὶ ποῦ ᾤκησαν.*
*Αἰθίοπες ἀπό Ἰνδοῦ ποταμοῦ ἀναστάντες πρὸς τῇ Αἰγύπτῳ ᾤκησαν.*

inter quadragesimum et quadragesimum primum Aegypti regem intempestive interjecti, pro capitis amissi initio argumentove margini adscripto habemus.

rem clarissimo exemplo tres Aegypti urbes primariae sunt; Alexandria, in maris ora posita, recentior est Sai, Sais Memphi; Memphis, in summo Delta condita, a Thebis aetate superatur *). Et ubi historia obmutescit, monumenta loquuntur. Nubiae enim templa subterranea vetustiora esse omnibus Aegypti aedificiis, post novissimas disquisitiones in dubium vocari nequit **). In templorum situ Aethiopia cum Aegypto mire consentit, ad unum enim omnia prope fluvium exstructa sunt, qua re satis perspicue apparet, Nili cursum templis et urbibus loca dedisse, eumque commodissimam viam fuisse, qua coloniae deducerentur, singulaeque urbes et oppida conjunctione inter se tenerentur. A meridie secundo flumine advectis Aethiopiae colonis, Philae insula ultimus terminus erat, quem facile navigiis attingere poterant. A cataracta Wadi-Halfensi usque ad Philas nullum periculum subeunt navigantes in aequore placide expanso; relictis autem Philis fluvius rectam, quam tenuerat viam deserit, scopulisque obstructus, nullum in quo naves appellent portum opportunum habet; parvo intervallo in cataractae angustias dejicitur. Templo jam in insula posito, Aegyptoque incolis frequentata, non fieri potuit, quin sacerdotum sapientia et mercatorum annuo intercursu, Philarum situs in dies majoris fieret momenti, nec sanctitas locum reliquit, cum Aegyptus, ad summum

*) Diod. Sic. III. p. 175 ed. Wess. φασὶ δὲ καὶ (οἱ Αἰθίοπες) τοὺς Αἰγυπτίους ἀποίκους ἑαυτῶν ὑπάρχειν, Ὀσίριδος ἡγησαμένου τῆς ἀποικίας.

**) Gau Monum. Nubiens. Praef.

potentiae elata, fines in prima cataracta posuisset. Haec opinio, cum monumentis ut in insula sita sunt optime congruens, cuique tabulam nostram I. obiter adspicienti probata erit. Etenim in insulae extrema parte meridionali sunt scalae majores (H), quibus naves appellerent; scalas duae porticus (D et E) excipiunt. Praeterea magni templi pylones (C et C¹) meridiem spectant; tum templum ipsum ita exstructum est, ut ingressum, obeliscis et leonum statuis ornatum, a meridie habeat, adytum vero et recondita cubicula (quasi tergum aedificii) a septentrione. Quam aedificiorum dispositionem non ab Aegyptiis, qui septentrionales terras tenerent, sed ab Aethiopibus, a meridie procedentibus, factam esse apparet.

Si hoc modo Philarum originibus majorem aetatem vindicare ausi sumus, multum abest, ut omnia quae nunc exstant monumenta ad remota illa saecula referamus, quibus auctore Herodoto (II, 4.) Aegyptus palus fuit; tamen ex iis quae modo attulimus, satis declaratum esse speramus prima in insula aedificia, Deorum cultui dedicata, magis in Aethiopum usum quam Aegyptiorum caussa, ultra cataractam habitantium, posita fuisse *). Variis temporibus a variis populis aedificia, quae nostram tulerunt aetatem, exstructa esse, Aegyptiorum, Graecorum, Romanorum vestigia ostendunt, quod magis ex

*) Heliodori Emeseni narrationem commentitiam (Aethiop. VIII, 1.) de Philis insula, in principio ab Aegyptiis occupata, eo magis hoc loco mittendam censemus, cum nullius scriptoris auctoritate sustineatur, eique tanta repugnent argumenta.

architectura conjicere licet, quam ex inscriptionibus. Earum enim auctoritatem ad determinandam templorum aetatem maximam partem fallacem esse, infra demonstrabitur. *Pars I.*

*De muro a Syene ad Philas usque.*

Antequam ad Philarum descriptionem accedamus, ille, quem supra memoravimus, depingendus est murus, per vallem incultam inde a Syene usque ad Nili ripam ex adversum Philas perductus. Fere omnium, qui haec loca visitaverunt, sagacitatem provocavit. In definiendo tempore, quo exstructus fuerit, qualisque ejus usus, omnes dissentiunt. Ex utraque parte montes asperi prominent, quos certis limitibus dividere haud operae pretium fuit. Lateribus, sole coctis, magna solertia compositus, altitudinem non amplius octo pedum, crassitudinem septem pedum habet. Nonnullis locis varia structura animadvertitur, quae abunde demonstrat murum per longum temporis spatium servatum, aliquoties instauratum fuisse. Ad difiniendam aetatem ejus, notandum est, laterum singulorum dispositionem eandem esse, qualem in ingenti muro Thebarum, cujus rudera, extremam portam orientalem tangentia, magna cura inquisivimus. Burckhardto de muro Philensi quaerenti, relatum est ab incolis, priscis temporibus eum canalis ripam fuisse, quo Nili aqua Syenen conduceretur, quae ipsi parum accepta est opinio, cum fluvius nunquam in eam altitudinem crescat. Nomen muri Hait-el-Adschur — murus latericius*) —

---

*) حايط الاجور. Burckhardtus male: حيط العجور haec addens: The inhabitants say, that this wall was built

Pars I. apud Syenenses tantum usurpatur, ab accolis Nubiensibus breviter Essur, murus, vocatur. Nobis de muro praeter nomen rogantibus, nihil nisi ineptiae allatae sunt, quibus facile intelligitur, quam manca hodiernis Aegyptiis priscorum temporum memoria et recordatio sit. Ad Pharaonem et Cleopatram, quae nomina sola ex antiquitate in plebis ore remanserunt, Arabes et Nubae omnia referunt, quae ante Muhammedis aetatem in Aegypto accidisse dicuntur. Alii murum a Cleopatra regina exstructum esse narrant, quae cum Syenae commoraretur, sciretque viam illam hyaenis aliisque feris infestam esse, filio, scholam Philensem frequentanti, tutum iter voluisset parare; — alii contra idcirco murum aedificatum esse affirmant, ut homines immorigeri, a Pharaone rege feris objecti a reditu in agrum Syenensem arcerentur. Sed haec sufficiant ad designandam istorum barbarorum stupiditatem.

Burckhardti sententia, murum contra Arabum orientalium incursiones factum esse, quo tempore commercium magnum esset inter Philas et Syenen, haud contemnenda videtur. Constat enim cataractam unum esse impedimentum navigationis per longissimum spatium, — est enim supra Philas duode-

---

by a king of the name of Adjour. — Propria significatio vocabuli اجور, later coctus, apud incolas antiquitate obsoleta esse videtur. Scribendi errore apud Denonium irrepsit: حيف العجوز, injustitia anus, pag. 162 (ed. Parisina) ubi Zuleikham, Pharaonis Zibae filiam, muri conditricem memorat, quae desumta videntur ex Ibn-el-Wardi Aegypto ed. Frähn pag. 40.

cim dierum navigatio expeditissima, et infra tota Aegyptus navibus patet, — murus igitur non solum ad tuendos mercatores, sed etiam ad instar viae munitae exstructus esse videatur, qua magno peditum numero praeter camelos et asinos merces adportantium, per arenam facilior esset transitus. Si quis talem viam munitam nullo alio loco reperiri nobis objiciat, meminerit, nullo alio loco Nilum scopulis obstructum esse, inde a Wadi-Halfa sub vigesimo primo latitudinis borealis gradu, usque ad septem ostia sub tricesimo primo. Pars I.

*Philarum ambitus.*

Inter ceteras cataractae insulas Philae minimo sunt circuitu, quum 400 tantum pedes gallicos latae sint, ac longitudine 1000 vix excedant. In hoc tam exiguo loco exstant hodie compluria templa, peristylia, porticus; columnarum numerum, etsi nonnullae jam dejectae, atque ruinis collapsae sunt, ad centum reperimus. Ex omni parte murus circumjectus est, cujus altitudo variat inter 20 et 25 pedes; Nilo ad summam aquarum copiam aucto, non plus 4, 6ve pedes super fluvium prominet: nullo modo autem fieri potest, ut minima pars terrae muro cinctae, aqua tegatur. Ad imam muri partem tanto temporis spatio, nonnihil humi, adfluente fluvio congestum est, quod insulae fines quoquoversum facit ampliores, plus tamen addit longitudini quam latitudini. Murum variis temporibus exstructum fuisse, dispares inter se operis formae, diversi singulorum lapidum ordines, eorumque status ut nunc est, arguunt. Nonnusquam murus lapidibus quadratis exstructus, angulos introrsum acutos habet, omni symmetria neglecta; multis locis collapsus, mul-

Pars I. tis collapsurus, parte occidentali magis integer est, quam orientali. Operae pretium videtur, plane singularem muri constructionem — cujus vestigia Elephantine quoque reperiuntur — in parte insulae, Africum spectante paucis attingere. Infima enim muri pars, observaveris eam vel e scapha vel a littore opposito insulae Bageh, non ad amussim directa est, sed circuli sectionem concavam exhibet, qua operis soliditas multum augetur. Nec tamen tota insula hanc aedificandi rationem adhibitam esse vidimus, ubi enim firmiore rupe litus munitum erat, ibi solito modo fundamenta exstruere sat habuerunt, ubi autem litus minus tutum erat, ut in parte meridionali, ibi solidiorem aedificandi rationem malebant, quae, quamvis fornicis speciem praebet, minime tamen opus fornicatum est, quod nos vocamus. Romanorum fornicationem Aegyptiis ignotam fuisse, inter omnes artis peritos jam dudum convenit.

*Locus appellendi.* Nostro sicut Strabonis tempore *) scaphae, quae in insulam advehuntur, pessime sunt structae; periculum autem trajiciendi imminuit aquae placida tranquillitas; Nilum circa Philas vento agitari, fluctusque ciere nunquam meminimus. A parte orientali accedenti praeruptum litus obstat; quo superato, quadratus murus cum sedibus lapideis fluvio imminet, tum monumentum elegantissimum (A), peristylii nomine nobis designandum. *Peristylium orientale.* Quod cum viatoribus primum in insula occurrat, paullo accuratius hoc loco describendum est. Constat quatuordecim

*) Pag. 818. (1173 ed. Almeloveen.)

columnis in quadratum dispositis, quae muro, ad tertiam partem altitudinis elato, inter se junctae sunt. Capitulis ornatissimis insident abaci insolita altitudine, haud dubie recipiendae Isidis figurae, super quos epistylium cum zophoro et projectura simplicissima collocatum est; tectum imponere nunquam in animo habebant conditores. Totius operis altitudo 42 pedum est. Utramque partem et orientalem et occidentalem, portae occupant, quarum postes, duabus mediis columnis eleganter affixi sunt. Pars I.

In portarum dispositione miram congruentiam per totam Aegyptum et Aethiopiam animadvertimus, quare scriptionem in areis et sectionem muri (Tab. II. Formis 1. 2. 3.) exprimi curavimus. Valvae introrsum trahebantur, clausae trabibus muro immissis muniebantur, quarum cava, modica altitudine facta, in omnibus templis observare licet. Pylonum majores portae (Forma 1) eandem formam exhibent, quam minores, duplices autem valvae erant, inter quas in crassitudine muri nonnunquam conclave exstructum est, janitoris habitatiuncula. In superiore quoque forium parte *) murus introrsum recedit, quo firmius clauderetur janua. Valvas reclusas solerter in muro quasi reponebant, ne prominentes valvae in pompis sacris, multitudini, atrium ingredienti, molestiam ferrent. Omnes portae, cum ad eandem normam factae sint, facile est in aedificiis deletis et arena obstructis, quae in Aegypto sunt *Portarum forma.*

*) Forma 3 ad. a.

Pars I. plurima; partes internas ab externis discernere. Quod in effodiendis templis ad investigandum sacrarium, et delineandam templi formam, haud parvae est utilitatis. Si enim in fundamentis portae vestigium inveneris, totius camerae positionem versus adytum, quo plerumque asservabantur sacella monolitha, facili negotio constituas.

*Peristylium, opus non absolutum,* Jam ad peristylium redeamus. In quo ex illa ferium norma conjicias, nunquam alii aedificio contiguum fuisse, neque id licuisse, sed monumentum separatum semper exstitisse. Singulis ejus partibus examinatis intelligitur, opus non absolutum esse. Columnarum capitula olim quidem perfecta, nunc plerumque rupta et diruta sunt; inferiores partes, non nisi saxis rudibus exstructae, stereobatae, cui columnae sunt impositae, adspectum praebent. Interiores peristylii parietes ornamentis notisque hieroglyphicis insigniti, nec tamen totum opus perfectum est. Quod occidentem spectat aedificii latus plane incomptum mansit; qua parte autem non exstant formae hieroglyphicae, leviores figurarum adumbrationes, lapidi incisas, dignoscas. In medio epistylio super utramque portam globus alatus spectatur, quod in veterum Aegyptiorum aedificiis tralatitium ornamentum esse videtur portarum lumini suprapositum. *recentiore aetate exstructum.* Peristylium recentiore aetate, quam qua magnum templum, aedificatum esse, ex ejus positione in insula apparet, id quod etiam e statu imperfecto manifestum est. Ad quam rem dilucide explicandam in animum revocanda sunt, quae modo de insulae positione in fluvio monuimus. Jam illo

tempore, quo locorum hominumque cultura ab interiore Africa propagata, Nilum tanquam ducem sequens, fertilissimam inter primam et secundam cataractam regionem, templis et urbibus replevit, sacra Philensia a sacerdotibus procurata fuisse conjectamus. Cum postea Aegyptiorum regnum potentissimum constitutum esset, Philae quidem sedes sanctissima mansit, pomparum autem ordo mutatus est. Qui propter Deorum cultum insulam adibant, non ut antea a meridie navibus advehebantur, sed a septentrione iter faciebant terrestre, arenosum, appellebant ad insulam loco perquam incommodo; aptior erat appulsus, ut supra diximus, in parte orientali, ubi peristylium (A), pompis excipiendis, et porta lateralis (B) magnis pylonum foribus contigua, exstructa erant. Quo tempore facta sit aedificatio in ambiguo relinquimus; tantum dicere licet, peristylium orientale et portam (B) serius, quam magnum templum media in insula, exstructa esse.

*Porta non suo loco adjecta.*

Absoluta hujus monumenti descriptione, ad cetera transeamus, et ambulantium more, quae nobis proxima sunt, perlustremus. Ad magnos pylones, quos in media insula primum animadvertimus per domorum arabicarum ruinas progredimur. Parva porta (B) transverso angulo magnae pylonis alae ($C^1$) adjuncta est, et quamvis ita collocata, ut paucas tantum obtegat figuras hieroglyphicas, tamen serius eam et loco minus apto adjectam esse apparet. Multae in ea inscriptiones sacrae scripturae cernuntur, quarum signa variis operta sunt coloribus, intervalla inter notas hieroglyphicas, naturalem

PARS I.

*Magni pylones,*

lapidis colorem non exhibent, sed pigmento albo illita coloris nitorem mire augent.

Magni pylones, alis duabus compositi (C et C[1]) opus eximium videntur, sive ad architecturae rationes spectas, sive ad figurarum distributionem et delineationem. Altitudo alae cujusque est 54 pedum, eadem longitudo in ima parte, quae mensurarum congruentia cum in multis pylonibus animadvertatur, verisimile est, pylonum alas antiquitus vera forma quadrata exstructas fuisse, post autem contracturam esse factam, qua altior et gracilior appareret aedificatio *). Ad probandam hanc opinionem, nonnullorum pylonum mensuras collegimus, quas hoc loco apponamus.

| | altitud: | | latitud: |
|---|---|---|---|
| Pylones Apollinopoli magna (Edfu) . . | 96 | pedes | 96. |
| — ad pagum Kalabsche . . . . | 50 | — | 50. |
| — ad pagum Dandur . . . . . | 40 | — | 40. |
| Diversa ratione sunt: | | | |
| Pylones ad pagum Gurnah . . . . . | 90 | — | 72. |
| — Thebani ad pagum Medinet-Abu | 60 | — | 54. |
| — ad pagum nubiensem Girsche . | 35 | — | 44. |
| — — — — Sebua. . | 35 | — | 40. |

In tanta auxiliorum nostrorum inopia fortasse et hoc criterium ad templorum aetatem definiendam nos juvabit; qui enim pylones formam quadratam exhibent, meliori artis aetati adscribendi sunt; depressa pylonum figura artis labentis tempora designat.

*ad exornandum templi introitum exstructi.*

Contemplantibus nobis magnos pylones sese offerebat quaestio, quid tandem esset cur Aegyptii tan-

*) cf. Tab. II. Forma 4.

tantae magnitudinis aedificia erexissent, ex templis quidem apta, sed quae neque pompis neque reliquo Deorum cultui inservirent? Caussam sitam esse censebamus in arte architectonica, qualis illo tempore fuisset, rationibusque, quas Aegyptii secuti essent. Non enim probata nobis videtur eorum sententia, qui pylones propter quinque vel sex cameras, quae plerumque in iis inveniuntur, factos esse putant; quasi templorum institutoribus spatium defuisset, vel ad servanda vasa, vel ad sacerdotum domicilia collocanda. Nec magis placet opinio ab aliis prolata, pylonum alas constructas esse usus astronomici caussa; convincuntur enim proximis montibus pylonum altitudinem longe superantibus *). Nihil aliud curabant pylonum architecti, quam ut templi introitum maxima dignitatis specie exornarent. Latitudo luminis portae pendebat ex latitudine lapidis superpositi, qui raro viginti vel viginti quinque pedes excedit. Id autem templorum magnitudini non suffecisse apparet, quapropter maxime probandum est, quod ad dextram et sinistram portae moles illas adjecerint, quae altitudine ceteras templi partes superantes ex longinquo prospiciuntur. Nullo alio modo in hoc archi-

PARS I.

*) Omnino probabile est, Aegyptiorum artem astronomicam nihil fere nisi anni solaris rectam cognitionem constituisse. Si solis et planetarum motus lege artis astronomicae computassent literisque mandassent, Ptolemaeus Alexandrinus, homo diligentissimus, observationum aegyptiacarum mentionem fecisset. Sed praeter graecas Hipparchi, ceteris omnibus praecellentes, inter antiquissimas, tres tantum Chaldaicas lunae defectus, octavi a. Ch. n. saeculi, laudat in Almag. IV, 6.

tectonices genere magnificus templi introitus parari potuit, qui primo conspectu appropinquantium animos admiratione et reverentia impleret.

*Formae hieroglyphicae.* Formae hieroglyphicae pylonum parietibus insculptae paullo differunt ab iis, quae in templo Latopolis magnae cernuntur. In parte superiore figurae Deorum exstant, in sellis sedentes, quibus a sacerdotibus sacrificia offeruntur, in parte inferiore maxime eminet heros aliquis vel rex, dextra ensem tenens, sinistra hostium catervam, crinibus prehensam, abripiens. Eadem figurarum ratio, qua victor formae majoris est, victi longe minoris, in aliis quoque monumentis saepissime deprehenditur. Isidis figura, manibus ad benedicendum et tuendum elatis, post victorem collocata, significare videtur, eum mortalem esse, Deamque auxilio praesentem. *Cavum ad malos erigendos.* In utroque portae latere cavum ad amussim factum est, ab imo unius pedis latitudine, tum sensim paulatimque decrescit, ita ut in summa pariete non exstet. Cum haud frequenter in monumentis occurrat talis excavatio, difficile est ad indicandum, qua de caussa eodem semper loco, juxta portam, facta sit. Notarum sacrarum dispositio probat, una cum pylone ipso eam fabricatam esse. Explicationem nobis praebet tabula Thebis opere caelato expressa *), qua cavis illis mali immissi sunt, vexillis superadligatis.

*Inscriptiones graecae.* In pylonis ala (C¹) ad dextram partem thyromatis, inter multas alias inscriptiones graecae quoque

*) Déscr. de l'Eg. Antiqu. Pl. III, 57.

leguntur, nuper in medium prolatae a nonnullis, ut probarent, quod diu in discrimen vocatum fuerat: pylones, vel certe signa hieroglyphica, quibus decorantur, Ptolemaeorum regno adscribenda esse vel tempori recentiori. Quam rem accuratius perpendere, ab hoc loco non alienum videtur. Prope portam Isidis figura incisa est, cujus extrema lineamenta, circiter digitum profunda, per inscriptiones graecas transcurrunt *), quas Letronnius, quae magna ejus sagacitas est, restituit et explicavit, earumque aetatem ad annos 107 — 64 a. Ch. n. retulit **). Figuram leviter consideranti nihil certius esse videtur, quam inscriptionem vetustiorem esse illa figura, imprimis cum literae graecae corrosae et vetustate paene deletae, Isidis autem lineae acutissime sint incisae. Pars I.

Nihilominus aliam quoque viam invenire facile est, qua res notatu dignissima meliore ratione explicetur. Aegypti monumenta perlustrantem non fugiet, in multis locis templorum parietes strato limi obductos esse, qui partim glutine, quod continet, partim nimia aeris aegyptiaci siccitate, admodum induratus, parieti accurate adhaeret, et omnino eundem cum lapide calcario colorem habet. Lithocollae nomine recte nuncupari potest. Ingenti copia moenibus applicatam vidimus in templo Nubiensi ad Sebuam, tum quoque Thebis ad pagum Karnak,

*) Déscr. de l'Eg. Antiqu. Pl. V, 55.

**) Recherches pour servir à l'histoire de l'Egypte, p. 145 sqq. — Apographum ex schedis nostris depromptum in tab. II. forma 5. repraesentavimus.

Pars I. Philis et multis aliis locis. In porticu Philensi (D) murus, fluvium spectans, tam aequaliter oblitus est hoc coeno, ut, qui minus diligenter murum perlustret, hieroglyphicarum notarum vestigia vix animadvertat. Scopa adhibita vel cultro, formas occultas in lucem rursus proferes. Ejusmodi circumlitionem ad inscriptiones nostras in pylonis ala ponendas, factam fuisse, pro certo statuerimus; — neque alius locus aptior erat, in quo consignarentur. Cum Ptolemaeus Alexander vel ipse Philas adiret, vel mitteret, qui suo nomine Isidi vota offerrent, atque hoc laudabile factum per inscriptionem posteritati mandare vellet, opportunior illo inveniri non poterat tabulae locus, qui juxta portam ingredienti cuique ante oculos esset. Alteram partem literarum in lapide, alteram in lithocolla positam fuisse apparet, nec dubitamus, quin sacerdotes ipsi, delubri dignitatis immemores, huic rei operam dederint. Pylonis parietes tanta figurarum sacrarum farragine obsiti sunt, ut nullo alio modo, nisi exposito, paullo longiorem regis inscriptionem moenibus adponere potuerint. Lithocolla, cum ex cavatis figurae lineamentis paullatim excidisset, literas graecas tales reliquit, quales nunc inveniuntur.

Qui opinionem nostram non probaturi sunt, jam quid sentiant de inscriptione in altera pylonum ala (C), tabula nostra II. forma 6? Lysimachus πάρεδρος, Ptolemaei Philopatoris, Philadelphi et reginae votum consignavit anno 70 a. Ch. n. *). Priores

*) Létronn. l. l. p. 136.

illae inscriptiones, quibus figurae lineamenta literis graecis inculcata sunt, annorum 107 ad 64 a. Ch. n. sunt, neque credibile est, alterum votum in muro figuris repleto, alterum in muro nudo memoriae traditum fuisse. Si igitur magni Philarum pylonis inscriptiones, quae annis 107 ad 64 a. Ch. n. comprehenduntur, partim signa hieroglyphica interrumpunt, partim iis circumscriptae sunt, inde colligi nequit, utrumque eodem tempore esse factum, sed ipsa varietas in literis disjungendis recentiorem omnium inscriptionum graecarum aetatem corroborat. Ad regis ipsius votum consignandum, murus lithocolla complanatus est, Lysimachus autem assessor, quo loco commodissimum putavit, votum adscripsit. Gavius in opere praestantissimo, Monumentis Nubiensibus Tab. XI., magnam inscriptionum Philensium copiam collegit, quibus, vel qui templa non adierit, de eo quod diximus persuadebitur.

Aliud accedit argumentum, quod omnem de hac re dubitationem removebit. Si enim vetustior est inscriptio graeca, illo tempore eam factam esse oportet, quo pylon exstructus quidem, nec tamen figuris hieroglyphicis ornatus erat; quod si ponimus, difficile est intellectu, quomodo inscriptionem opifices non viderint, qui accuratissima diligentia figuras insculpserunt; credo delevissent eam, quippe quae etiamnum locum depravet, murumque eadem cura qua ceteras partes laevigassent. Neque facile credas, literis delendis unquam quemquam operam dedisse, imo exceptis iis, quae cum lithocolla exciderunt, omnes aeque expedite nunc legi possunt, at-

Pars I. que quo tempore incisae sunt. Nobis quidem haec sola ratio sufficit, ut signis hieroglyphicis antiquiorem aetatem, quam inscriptionibus tribuamus.

Ceterum non praetermittendum est, insolitam illam imaginum circumlitionem in sola Aegypto propter rarissimas pluvias adhiberi posse, ut nemini mirum videatur, maximam peregrinantium partem et ipsam deceptam esse, aliorumque opinionem obturbasse. Alii fortasse contingat monumenta aegyptiaca diligentius perscrutanti, ut inscriptionem et in muro et in lithocolla exhibitam reperiat.

Iis igitur, quae modo attulimus, accurate multumque perpensis, ad remotiorem quidem aetatem Philarum templa retrahimus, sed nullo pacto de tempore, quo exstructa sint, certam sententiam proferre audemus. Qua de re nos tam diu in ambiguo remansuros esse putamus, quam signorum hieroglyphicorum explicatio non ad altiorem, quam quem nunc tenet gradum, progressa erit *).

*Leonum statuae.* Ante utramque pylonis alam, haud procul a porta majore in ruinarum acervo, fragmenta quaedam cernuntur, leonum, ut conjicias, partes abruptae. Lapide granitico rubro maxima diligentia exsculpta sunt, no-

*) In Ephemeridibus gallicis Augusti MDCCCXXIX Champollion minor, de notarum hieroglyphicarum explicatione optime meritus, inventorum in Aegypto specimina exhibens, fere omnia Philarum monumenta Ptolemaeorum et Romanorum aetate exstructas esse significavit, cujus rei, ex itinere reducem, firmiora eum allaturum esse argumenta speramus, quam quod sola regum nomina, literis sacris expressa, ibi offenderit.

*Obelisci.*

bisque videntibus leonum statuas antiquissimas in memoriam reducebant Argis Graeciae supra portam urbis collocatas. Leonibus duo obelisci olim antepositi erant; alterius fragmenta etiam nunc reperiuntur; alter una cum basi a Belzonio Paduano anno MDCCCXVIII. in Britanniam delatus est jussu et impensis Banksii. Cum obelisci latera signis hieroglyphicis repleta sint, basisque inscriptionem graecam satis longam exhibeat, spes nuper erat, amborum quasi lapidis bilinguis collationem, literarum sacrarum cognitionem egregie adjuturam esse: sed graeca tantum inscriptio Letronnium (l. l. p. 297 sqq.) sagacissimum interpretem nacta est; signa hieroglyphica qui explicaret, nemo huc usque exstitit, quamvis St. Martinus et Champollion minor declararunt, obelisci sacras literas Ptolemaei nomen continere, neque dubium esse, quin petitionis graecae interpretationem aegyptiacam exhiberent.

*Sacerdotum rogatio.*

Graeca obelisci inscriptio memoriae tradit sacerdotum Philensium preces, quas regi Ptolemaeo Evergeti II. olim attulerant, ut liberarentur a vexationibus praefectorum et militum. Mirum quibusdam videbitur, quod obelisco inscripta est sacerdotum rogatio, cui inscribendum potius erat regis responsum, sed et hanc difficultatem removit Letronnius (pag. 337.) hac proposita sententia: regem in responso satisfecisse precibus sacerdotum, ita tamen, ut, rogationem respiciens, singula quaeque non memoraverit, sacerdotes igitur et rogationem et responsum literis mandasse; idque responsum, cum in alia monumenti parte vel alicubi exstitisset, aut plane

deletum esse, aut ruinis obtectum jacere. Suspicamur, id alteri obelisco, quem contra appositum esse scimus, inscriptum fuisse.

A pylonibus magnis meridiem versus, inter porticus D et E campus patet, ruinis obsitus. Ibi olim derelictus Arabum pagus exstitit, quem Britannorum proxenus Saltius, praematura morte literis ereptus, nuper evertit, quo nunc tota insulae pars australis oculis perlustratur. Melius fortasse de antiquitatibus Philensibus meruisset vir praestantissimus, si circum obeliscos saxa removisset, ad diligentius indagandam soli inclinationem. Haudquaquam enim spernenda est opinio Belzonii *), qui hoc loco quatuor vel quinque scalas, ut in foro Romano prope Titi arcum, exstitisse suspicatus est. Porticuum enim (D et E) columnae positae sunt loco longe inferiore quam pylonum limen **).

*Conclavia ante magnos pylones.*

Haud procul a porta (B) initio porticus orientalis (E), tria parva conclavia (F) reperiuntur, quae propter saxorum, quibus circumfusa sunt, multitudinem quasi subterranea dici possunt. Murorum partem exteriorem parietinae obduxerunt, tecta rupta sunt, interna pars caementis et lapidibus ita repleta, ut difficilis sit aditus. In supercilio portae (ad F)

*Inscriptio Ptolemaei V. Epiphanis.*

---

*) Narrative of the Operations. p. 200.

**) In opere expeditionis gallicae (Antiqu. Pl. V, 2. Coupe des principaux édifices) scalarum, quas diximus, fere nulla ratio est habita, etiam peristylii meridionalis columnae altitudine in tabula longe inferiores sunt porticuum columnis, quas tamen veritate multo superant. Veremur, ne memoria magis quam mensuris freti hanc tabulam delineaverint auctores clarissimi.

inscriptionem graecam explorare nobis contigit, quam hoc loco proponere haud alienum videtur, cum nusquam, nisi fallimur, ejus mentio sit facta. Sunt autem duo versus ita dispositi: Pars I.

ΒΑΣΙΛΕΥΣΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣΚΑΙΒΑΣΙΛΙΣΣΑΚΛΕΟΠΑΤΡΑ
ΘΕΟΙΕΠΙΦΑΝΕΙΣΚΑΙΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣΟΥΙΟΣΑΣΚΛΗΠΙΩΙ

„Rex Ptolemaeus et Regina Cleopatra,
Dii conspicui, et Ptolemaeus filius, Aesculapio."

Rex Ptolemaeus nullus alius est, nisi Ptolemaeorum quintus, cui nomen Epiphani (204—180 a. Ch. n.), Cleopatra regina igitur filia Antiochi, regis Syriae, Ptolemaeus filius autem patris successor, cui postea Philometori cognomen inditum est. Inscriptionis tempus angustioribus limitibus circumscribi potest, si consideraveris, Ptolemaeum Philometorem natum esse anno 187 a. Ch. n., patrem autem veneno necatum anno 180, unde sacelli dedicatio in septem annorum seriem (187—180) concluditur. Praeterea notandum est, epitheton: *Θεοὶ Ἐπιφανεῖς* alias non legi nisi adjecto: *Εὐχάριστοι*, ut in lapide Raschidico in inscriptione Antaeopolitana et in plinthide a Lyciis dedicata *). In inscriptione nostra propter loci angustiam plura addere non licuit.

Praeter hanc Aesculapii mentionem in magno inscriptionum Philensium numero invenimus nullam. Maxima pars venerationem a regibus et reginis Isidi Deae habitam testatur, una tantum Aphro-

*) Quo de conferas Letronnium l. l. p. 51. Champollion Figeac Annales des Lagides. II, 116.

Pars I.

diten memorat, in alia Sarapidis mentio facta est. Neque inter Deos, quibus in eodem templo sacrificia parabantur (συννάους θεούς) Aesculapium memoratum vidimus. Conjectura ducor ad suspicandum, ei sacellum ideo dedicatum fuisse, quia Cleopatra regina post quinquennalem sterilitatem domum regiam haerede auxerit, anno 187 a. Ch. n.

*Porticus orientalis (E).*

Eodem modo, quo sacellum, etiam porticus (E) ruinis repleta est, ita ut columnarum dimidia tantum pars ex illis emineat. Porticum imperfecto opere derelictam esse, in capitulis columnarum observare licet, quorum plurima inchoata et eo perducta sunt, ut jam totam eorum formam cogitatione opificum conceptam assequi possis. Eam rem imprimis nostri temporis artifices mirabuntur, quippe quae veteribus Aegyptiis minus commodam quam nobis aedificandi rationem fuisse demonstret; nos enim capitula in officinis ad id perficimus, ut ne unguis quidem desideretur in iis, tum singula singulis columnis imponimus; illi autem, postquam saxa columnarum scapis rudia superposuerant, capitulis sculpendis operam dabant. Ex quo instituto apparet, Aegyptios tum opificum commoditatem minus respexisse, tum in arte architectonica atque lapidaria tantam dexteritatem nactos esse, ut rarissime opus inceptum per opificum incuriam damnum caperet *).

*) Notabilis illius dexteritatis exemplum, a multis viatoribus observatum, in latomiis Syenensibus, ab urbe meridiem versus reperitur; ibi enim obeliscus haud modicae magnitudinis (60 circiter pedum), e monte excidi coeptus, tribus lateribus, quae jam expolita et maximam partem formis

Ab extrema porticu versus finem insulae meridionalem procedentibus tantum non insuperabilis est via. Ubique saxa disjecta, tuguria Arabum eversa, vasta cava impedimenta offerunt. Facilis ascensus cacuminis (G) a septentrione tantum praebetur, ceteris partibus saxa granitica praerupta in Nilum verguntur. Una semita arctissima, spinis et lapidibus paene obstructa, inter fluvium et montis radices est, qua imum collem non sine difficultate circumire licet. Vestigia muri, qui totam insulam olim circumdedit, usque ad infimum clivum persequi potuimus e regione septentrionali et occidentali; in extrema parte australi nunquam murus exstitisse videtur, quippe quae loci natura appellendis navibus minime fuerit idonea.

PARS I. *Extrema insulae pars meridionalis.*

Montis cacumen (G) ejusdem fere altitudinis est ac summus pylon, quinquaginta circiter pedes supra flumen eminens. Hic septentrionem versus praecipua insulae monumenta in oculis sita sunt; meridiem versus latissimum Nili aequor cernitur, e montibus Aethiopiae placido cursu procedentis. In ripa orientali angustus tractus viridi colore, tuguriis et arboribus raris obsitus, indicio est, quae maxima sit fluminis altitudo. Litus occidentale, arena libyca obrutum, pauca tantum humani cultus vestigia exhibet.

Fastigio (G) relicto, ripam insulae meridionalem

*Scalae meridionales.*

---

hieroglyphicis signata sunt, a reliqua rupis mole separatus est, quartum autem latus instar basis saxo adhaeret. Tanta erat fiducia in difficillimo avellendi labore, atque tam parum, ne frangeretur lapis, verebantur.

Pars I. persequamur, ubi numerosa muri eversi fragmenta, scalasque ad Nilum deducentes (ad H) invenimus. Cum singulorum graduum latitudo minor sit pro ratione altitudinis, a summo ad imum despicienti nimium praecipites apparent. Fluvius, qua imum gradum alluit, admodum est profundus, ita ut maximis navibus facilem appropinquandi locum praebeat. Neque dubitamus, quin ibi antiquitus unicus pompis sacris appellendi locus fuerit. Splendidissimum haud dubie spectaculum totius cultus aegyptiaci pompa solemnis fuit, quae ad sacra Philensia ducebatur. Eam antiquissimis temporibus nonnisi a meridie appropinquasse opinamur. In templorum et hypogeorum parietibus tanta multitudo singularum pompae partium servata est, ut tota figura et ordo quasi praesens conspiciatur. Reliquiae detectae aliquoties in magno expeditionis gallicae opere laudabili diligentia repraesentatae et felicissime suppletae sunt *).

*Peristylium meridionale.* Inde a scalis (H) occidentem versus alterum peristylium (I) reperitur, quattuordecim columnis constans, quae peristylio orientali (A) et magnitudine cedunt, nec tam bene servatae sunt. Trium portarum vestigia animadvertimus, quarum duae laterales ($I^1$ et $I^3$) haud certa architectonices lege sunt collocatae. Diversis enim columnis affixi sunt portarum postes, prout accedentibus inde a litore commodissimus fuit ingressus. Tota illa insulae parte nusquam angulorum rectorum ratio habita est,

*) Déscr. de l'Eg. Antiqu. Pl. IV, 6. 30. 51.

nisi in disponendis peristylii columnis, quas porticus adjacentis (D) columnis multo altiores esse notandum est; caetera aedificia, scalae ambae porticus (D et E) murus meridionalis, omnia angulis diversis exstructa sunt. Pars I.

*Obeliscus.* Duo olim obelisci *) e lapide calcario facti in muri extremo margine ante peristylium collocati fuerant, quorum alter, orientalis, ruina fortasse columnarum abreptus, in aquam prolapsus esse videtur; alter, qui remansit (K) apice destitutus, arctissime basi injunctus est, eo modo, ut ima pars ejus in excavationem basis accuratissime quadret. Ipsa basis truncus est depressus, simplici obelisci formae magis conveniens, quam bases altissimae et compositae, quae Romae et Byzantii seriore aetate exstructae sunt. Et in eligendo loco, quo obeliscos collocarent, magna prudentia Aegyptios egisse apparet, cum ante pylones magnificos vel in porticus fine potius videantur erigendi, quam in area vasta vel in elephanti dorso, ut Romae et Cataneae.

Nonnullae reperiuntur in obelisco Philensi inscriptiones partim literis, quas dicunt hieraticis, expressae, partim graecis, quarum una, optime conservata, regis Ptolemaei (Novi Dionysi) votum Isidi et Diis insulam cohabitantibus factum declarat **).

*) Est autem obeliscus asperrimus lapis, in figuram metae cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur, gracilescens paulisper, specie quadrata in verticem productus angustum, manu laevigatus artifici. Amm. Marcell. XVII, 4.

**) Egregie explicatam, aetati suae vindicatam, aliique

PARS I. De serenitate coeli aegyptiaci et de siccitate aëris id clarissimum exemplum affert, quod inscriptio, inter annum 70 et 53 a. Ch. n. pigmento rubro in lapide exarata, tot saeculorum spatio praeterito, eadem facilitate legi potest, quam quo tempore posita fuit.

*Porticus occidentalis.* Prope obeliscum in muro meridionali fenestrae lumen est, quod prospectum supra Nilum, vasto aequoris campo dilatatum, praebet. Pari modo in muro porticus occidentali (D) multae fenestrae majores et minores exstant, quas eodem tempore quo porticum aedificatas esse inde apparet, quod interna earum latera iisdem figuris hieroglyphicis, quibus reliquae operis partes, exornata sunt.

*Insula Bageh, occidentem versus sita,* Hinc prospicienti vicina sese offert insula, cui apud Arabes Bageh nomen, de qua hoc loco pauca adjicere volumus. Constat rudibus saxis, Philas altitudine longe superantibus. In montium radice benefica Nili unda paullulum humi deposuit, quo factum est, ut Nubae nonnulli ibi habitacula constituerint. Tenue fluminis brachium insulas dividit, cujus tantula est profunditas, ut aestate, affirmantibus incolis, vado transiri possit. In elatiore insulae Bageh parte ex opposito Philarum, templi aegyptiaci rudera conspiciuntur, nonnullis Nubarum tuguriis cincta. Muri circumjecti vestigia parvitatem ostendunt templi, quod Abaton scriptorum esse, infra demonstrabimus. In ipsa fluvii ripa scalae lapi-

---

ejusdem regis comparatam reperies apud Letronnium l. l. pag. 134.

deae obstant, quae aquis tumescentibus obtectae, maximam partem ablatae sunt; non multum distant a janua postica ex opposito in Philis, quae ex aqua eminet, navibus appellendis idonea. Inde a scalis olim viam munitam ad templum pertinuisse, eum non fugiet, qui caementorum arena paene obtectorum positionem accurate perpenderit. Sacellum ipsum parvulum fuisse, columnarum modica altitudo probat, decem vel duodecim pedes non superans. Statuae ingentis magnitudinis fragmenta arena obducta prope templum offenduntur, priscae magnificentiae testimonium clarissimum. Belzonius a templo meridiem versus sepulcra a nobis non visitata invenit, quae cum simili loco Thebano in pago Gurna contendit *).

*ejusque sacellum.*

Duabus sacelli antis impositus est arcus fornicatus, de quo amplius disserendum est. Multos ille viatores in errorem induxit, qui veteribus Aegyptiis operis fornicati leges innotuisse sibi persuaserant. Belzonius, observator acutus, hujus arcus conspectu deceptus, postea in Thebarum necropoli fornicem invenisse sibi visus est **). Pervestigatis enim nonnullis hypogeis ad pagum Gurna, eorum introitum repererat, qua parte minus firmus videbatur lapis calcarius, opere fornicato munitum. Quod cum in paucissimis hypogeis factum sit, pro certo statuendum est, talem introitum recentiore tempore ad restaurandum opus adjectum esse. Alio Thebarum

*Opus fornicatum serioris aevi.*

*) Narrative of the Operations. p. 202.

**) Belzoni l. l. p. 176 sqq.

Pars I. loco idem Belzonius arcum lapide quadrato exstructum invenit *), minus etiam fornicis nomine appellandum, cum nonnisi lapidibus ex aequo superpositis constet. Eodem fere modo fornices Abydeni sunt exstructi, optimo teste Jomardo, qui veram artem fornices fabricandi Romanis vel adeo Italiae incolis jure vindicavit **). Si concamerandi ars Aegyptiis innotuisset, eam non solum in hypogeis, sed etiam in templis aliisque majoribus aedificiis adhibuissent; neque magni momenti Belzonii argumentum habemus, dicentis: idcirco in templis tecta concamerata non reperiri, quod lineae curvatae cum totius aedificii simplicitate et majestate non congruerent. Qui fornicem in insula Bageh una cum templo exstructum fuisse contendunt, eos nonnisi inde a Philarum ripa opposita arcum adspexisse censemus; qui vero, in insulam trajectus, paullo diligentius aedificium investigaverit, intelliget, arcum non ejusdem esse aetatis, qua columnae et portae structae sunt, sed sine dubio Romanorum tempore adjectum fuisse ***). Nam et singuli arcus lapides leviter tantum scalpti, magna cum incuria com-

*) Belzoni l. l. plate 44.

**) Déscr. d'Abydos. p. 12.

***) Lancretus p. 92. a Christianis, Thebaidem tenentibus, eum exstructum esse putat. Illorum autem opera plerumque lateribus coctis constant. Hamiltonius in Aegyptiacis p. 53. immerito arcum nominat opus eximium et ad Coptitarum ecclesiam vel Saracenorum meschitam pertinuisse censet. Quanta autem differentia inter haec duo architectonices genera intersit, nemo ignorat.

compositi sunt; atque ipsa arcus forma, portae instar, in nullo alio Aegyptiorum templo hucusque reperta, de antiquitate dubitationem provocare potuisset; neque pronunciare veremur, florentissimis artis temporibus Aegyptios et Graecos concamerandi artem neque exercuisse, neque novisse adeo. — Sed ut jam ad porticum Philensem revertamur, in qua describenda versabamur, triginta trium columnarum series ingentibus saxis superpositis muro annexa est. Saxorum nonnulla ex alto prolapsa laeserunt capitula vel perfregerunt, viaeque magnum impedimentum afferunt. Murus primo adspectu multis locis carere videtur figuris hieroglyphicis, quae reliquam porticum densissimo agmine, quasi nube, obtegunt; accuratius autem si indagaveris, facile perspicies, nudas partes praetenui limi strato (quod supra lithocollae nomine designavimus) tectas esse, qui prorsus ejusdem est coloris ac lapis calcarius. Scopis haud difficulter removetur, quo facto singulae imaginum partes rursus apparent; colores autem, quibus ornatae fuerant figurae, lutum, ut solet, vel dissolvit, vel multum imminuit. Strato saepius a nobis detruso in multis insulae locis, inter colores caeruleum maxime remansisse vidimus, tum rubrum, ceterorum rarissima sunt vestigia.

*Porticus Philensis occidentalis.*

Columnarum capitulis cum omnino Aegyptiorum architectura splendeat, illa tamen, quae Philis exstant, ceteris omnibus pulchritudine et varietate formae antecellunt. Columnarum capitula in porticu (D) inter se differunt omnia, sed mira formae dignitate quaeque insignita; tenue quidem discri-

*Capitulorum praestantia.*

men in mensura ornamentorum apud nonnullas intercedit, tamen ubertatem artis et copiam in inveniendo testantur omnia.

*Scalae subterraneae.*

In media porticu (ad D[1]) scalae subterraneae bene conservatae sunt, quarum aditus saxorum ruina paene obstructus est: primo impedimento superato, facilior descensus ad Nilum, cujus undae parvam portam alluunt. Hyeme auctus fluminis limo et arena portam implet et imos gradus obtegit; scalae ipsae non saxo incisae, sed lapide quadrato exstructae, sicut omnia opera subterranea, quae Philis inveniuntur; nam insulae solum graniticum non tam idoneum videatur illis excavationibus, quas Aegyptii aliis locis in lapide calcario sine ulla trabium vel pilarum fultura fabricati sunt.

*Atrium splendidum.*

Jam pylones magnos (C) repetamus, ad quos per mediam portam ruderibus obstructam est aditus; summa admiratione nos implevit templi atrium, undique monumentis magnificentissimis circumdatum. Quamquam in illa parte, quae aquilonem spectat, ruinae ad quattuor vel quinque pedum altitudinem congestae sunt, tamen eversio monumentorum non tanta est, quanta in caeteris insulae partibus. Simulatque ingressus es, obversantur tibi secundi pylones, duabus alis ingentibus constructi, prioribus magnitudine, nec tamen formae elegantia inferiores; licet obliqui sint anguli, quibus secundi pylones positi sunt, tamen atrii forma, vulgatis architectorum regulis minus respondens, spectantium animum suavissime commovet.

*Secundi pylones.*

Aedificium (L) sub orientem, pylonum alis (C[1] N[1]) contiguum, porticus est venusta, nullo alio damno laesa, nisi quod capitula nonnulla columnarum sunt dejecta. In conclavibus parvis, porticui adjacentibus, id nobis inusitatum visum est, quod cujusque camerae janua non in medio pariete, sed in latere dextro posita est; ultimum conclave meridionale (L), cujus tectum et parietes ruinis conciderunt, alae (C[1]) fines multo excedit; — vestibulum quoque (L[1]), in altera parte positum, insolito modo porticui adjectum est. Manifesta est aedis inconcinnitas, si e tecto eam examinaveris, ad quod per parvam januam (a) scalasque in pylonis ala aditus est. Non enim satis tutum videbatur, unum tectum lapideum superponere, columnasque saxis ingentibus cum muro conjungere, quapropter tectum novo tecto firmarunt; cujus lapides, rudius exscalpti, primum pylonem acuto angulo tangunt, quod illam aedificii discrepantiam non parum auget. Similiter Thebis, ad oppidum Karnak, parvum templum graniticum alio majore calcario quasi capsula inclusum est; quod autem Thebis in sanctissimo sacello factum est, id ipsum Philis Aegyptii in aedificio secundario esse voluerunt, neque quisquam erit, qui non videat, tantam saxorum molem magis ad evertendum, quam ad tuendum aedificium tecto imponi. Jam irruerunt saxa nonnulla, aliaque brevi collabentur. Tota illa templi parte, praecipue in januis, tanta vis ruderum congesta est, ut maximam ingredientibus objiciant

PARS I.
*Porticus orientalis.*

Pars I molestiam. Attamen et commodum quoddam obtulerunt; in conclavi enim (L) duo saxa e tecto prolapsa scribentibus pro tabula et sella sunt, solusque hic locus in insula est, qui gratam habet umbram, nec tamen lumini officientem.

*Scalae ad summum pylonem ducentes.*

Scalas in interna pylonis ala (C') collocatas ad summum fastigium usque ascendere licet, quum omnibus partibus mire conservatae sint, neque ullus desit gradus. Adjacent iis conclavia nonnulla, unum alteri superpositum, sacerdotum domicilio *) vel vasis asservandis destinata. Lumen praebent angusta spiramina, quae in externa parte facile conspiciuntur. Neque in scalis, neque in conclavibus notae hieroglyphicae vel alia ornamenta apparent, sicut in omnibus reconditis templorum partibus. Summum aedificium projectura cingit, crepidinibus ingentibus constructa, quae in tecto ambulantibus loricae usum praebent.

*Templum occidentale.*

In occidentali atrii parte aedificium est (M), quo melius servatum omnibusque partibus magis incolume vix ullum tota Aegypto reperias. Tectum nusquam laesum interiores partes a ruinis defendit, ita ut omnia conclavia commodissime adiri et perlustrari queant. Cum nullibi cetera aedificia tangat, templum separatum dicendum est. Aditus fit per januam (ad b) non ab atrio, sed a media pylonum ala (C), quae paucos tantum pedes a templo distat. Janua (c) ab atrio non ad templum ipsum

*) Sacerdotibus in ipso templi ambitu domicilia fuisse, conicere licet ex Heliodori Aethiop. VII, 11.

ducit, sed ad elegantissimum pteroma templo circumjectum. In interna pteromatis parte leonis statua est, cellae muro adaptata, quam Lancretus effundendae aquae lustrali inservisse recte existimat; quae in externa templorum parte leonis statuae cernuntur — sicut in Philis ipsis (vid. infra) et in templo Tentyritano, octo leonum statuis ornato — aquam pluvialem demisisse videntur; sacra enim neque extra templum perficiebantur, neque repentini imbres in Aegypto plane deerant. Columnae pteromatis ad tertiam altitudinis partem muro conjunctae sunt; reliqua inter columnas apertura sola est, quae templo lucem praebet. Tria cellae conclavia, quamquam plane obscura, tamen omnibus locis tabulis hieroglyphicis instructa sunt. Frequentissime Isis depicta est, cornuta illa, quae discum (lunarem esse credunt) inter utrumque cornu gestat. Variae formae sunt adjunctae, interspersis notis hieroglyphicis, in quarum explanatione frustra ut in re abstrusa et recondita labor et cura Lancretum torsit. Si in explanandis monumentis illis, quae notas Aegyptiorum sacras una cum interpretatione graeca ostendunt, ut lapis Raschidicus et alia pauca, nondum eo provecti sumus, ut uniuscujusque notae vim certo cognitam habeamus (nam praeter regum nomina pauca tantum signa explicata sunt): quomodo fieri potest, ut signa linguae veteris Aegyptiorum deperditae uno Copticae recentioris auxilio illustrentur?

PARS I.

Ex adverso templi occidentalis (M), ala pylonis (C) portam minorem habet, quae a latere (ad

*Elephanti forma,*

Pars I. d) inter notarum sacrarum farraginem elephanti quoque imaginem continet. Ornamenti instar in tabula est depictus, quam anus quaedam Deo vel regi offert *). Tam parva autem et abscondita est imago, ut etiam diligentiorum oculos facile fugiat; neque ejus mentionem faceremus, nisi sola esset elephanti imago tam in Philis insula, quam in tota Aegypto et Nubia; etsi non negemus, in accuratiore templorum perscrutatione alias reperiri posse. Offenduntur quidem in aliis templis aegyptiacis et nubiensibus, ad pagos Kababsche, Medinet-abu etc. tabulae hieroglyphicae praeter captivos animalia quoque ex belli praeda ob oculos ponentes: leonem, simiam, struthionem, antilopam et alia; — tamen inter haec nusquam elephantum videre meminimus, cujus ex interiore Africa notionem ad Aegyptios pervenisse necesse est. Neque minus memorabile est, nusquam in tabulis templorum cameli formam integram reperiri, quem antiquitus in Aegypto inter animalia domestica fuisse constat. In monumentis Meroës insulae, cui nunc Sennaar nomen, non tantum elephantos solos, sed etiam cum hominibus certantes depictos esse narrant viatores, quibus regiones illas remotas adire obtigit, inter quos amicissimum Augustum Linant nominamus, qui certaminum delineationes nitidissimas magna comitate nobiscum communicavit.

*et aliorum animalium.* Cum jam de animalium imaginibus sermo sit, adjiciendum etiam videtur, duplici modo eas expressas

*) Tab. II. forma 7.

esse in templis et hypogeis. Adspiciuntur enim tum in tabulis, v. c. equi, regis curru juncti; boves, aratrum trahentes; arietes, asini, caprae, coram possessore enumeratae; tum autem reperiuntur signis hieroglyphicis intermixtae, quasi in contextu literarum et verborum, ubi multo cautius de earum sententia pronunciandum est; harum maxima pars aves sunt, quales: ibis, falco, vultur, anas, anser etc., ex quadrupedibus leo, alia; rarius occurrit crocodilus, cujus tamen caput saepissime humano corpori impositum est. Duo camelorum capita excellentissimus a Minutoli in obelisco Thebano (ad pagum Luxor) accuratius delineavit; Belzonius inter signa hieroglyphica equum et camelopardalim reperit; piscem nusquam in literarum consequentia expressum esse meminimus. Pars I.

Prope elephanti formam in porta (d) conclavia nonnulla sunt, quae ante hos triginta annos viatoribus gallicis patebant, nunc autem ruinarum copia obstruit aditum.

*Sacellum graniticum.*

Ad atrium reversi in parte septentrionali sacellum cernimus lapide granitico factum, imae pylonis alae ($N^1$) adhaerens, saxis autem ita obrutum, ut aegre adiri possit. Altitudine et latitudine sex fere pedes aequat. Tecto cum careat, internam ejus partem, notis hieroglyphicis repletam, facilius quam externam, parietinis obductam, examinare licet; januam tamen versus atrium adfuisse docet globus alatus, qui in parte externa e ruderum congerie eminet. Recentiore tempore adjectam esse aediculam illam, non solum monet locus, quo collocata

PARS I. est, sed etiam notarum sacrarum habitus et forma, a ceteris templi notis longe diversa.

*Secundi pylones.* Minores pylones (NN[1]) obliquo angulo adjectos esse atrio, supra memoravimus. Quorum summa pars injuria temporum admodum laesa est; in utraque enim ala pagus arabicus olim exstructus fuit, quo factum est, ut crepidines summae projecturae fere omnes dejectae sint, tuguriorum autem labentes ruinae adspectum foedent. Unum in mediis pylonibus ostium, obliquo angulo murum secans, eadem ratione constructum, qua priorum pylonum porta, ita ut valvae apertae intra murum

*Pronaos.* locum haberent. Aditum praebet pulcherrimo pronao, qui inter omnes, ex Aegyptiorum antiquitate nobis relictos, facile primum locum occupat. In quo condendo et collocando etsi angulorum rectorum ratio saepius est neglecta, neminem tamen fore credimus, qui, cum tanta sit totius operis perfectio, in tam levi vitio, siquidem vitium est, haereat. Decem columnis constat pronaos, quarum in utraque parte duae in medio positae, muro intercolumnio ad tertiam altitudinis partem elato, conjunctae sunt, ita ut pronai pars anterior duabus, posterior autem quattuor teneatur columnis. Tectum superpositum nullo loco laesum, impluvii modo aperturam habet quadratam, ne remotioribus aedificii partibus lumen desit. Formae hieroglyphicae, quibus parietes, columnae et lacunaria repleta sunt, suavi eoque mire servato colorum nitore splendent; maximum autem pronai decus decem sunt columnae, in quibus ornamenta omnia, singulari diligentia ex-

sculpta, ad minutissimas partes servata sunt; credas, opus nuper absolutum esse. — In hoc pronao, nisi in loco, quem designavit, fallimur, Lancreto auctore columna est, a nobis non reperta, in cujus medio, per unius lapidis defectum conspicuo, alium lapidem, notis hieroglyphicis ornatum ille vidit; — qua re satis apparet, illam templi partem lapidibus, antea alium in usum jam adhibitis exstructam esse. Tanta autem est inscientia nostra de monumentorum historia, ut neque de prioris neque de posterioris aedificationis tempore certum quidquam proferre possimus.



Varia sunt in pronao capitula, plerumque ad calycis speciem exaedificata, nonnulla etiam ad palmarum proceros stipites ficta. Crassitudo columnarum est trium pedum et semissis, altitudo scapi cum capitulo viginti et duorum, contractura vix manifesta; — a graecarum igitur columnarum mensura longe discrepant.

Labor irritus esset, vel descriptione vel delineatione ulla formarum venustatem et firmitatem, architecturae nobilitatem exprimere; accuratissima imago, cum veritate comparata, nobis languida visa est. Aedificii mensuras describas licet, parietum ornamenta et colores diligenter imiteris, nunquam tamen accedit tabula tua ad illam umbrarum perspicuitatem et nitidum coeli splendorem, qui immutata diei solisque serenitate templum totamque insulam illustrat. In hoc pronao facile populationes omnes, quibus misera Aegyptus per tot saecula a barbaris afflicta est, obliviscaris; — persuadeas tibi,

Pars I. veteris cultus aegyptiaci magnificentiam rediisse, sed justo citius ruinae undique sparsae Turcarum imperium in memoriam reducunt.

*Adytum.* Restat, ut de ultima templi parte vel adyto pauca addamus. Januam habet (ad e) in medio pariete cum inscriptionibus ab utroque latere, maximam partem graecis, in quibus episcopi Theodori saepius fit mentio, nec non operum ab eo confectorum *). Quamquam in his titulis verba: τοῦτο τὸ ἀγαθὸν ἔργον ἐγένετο eodem jure, quo in reliquis vox ἐποίησε ad templi aedificationem trahi possint, tamen nemo, primis architecturae elementis imbutus, sibi persuadeat, monumenta Philensia a Coptitarum episcopis condita esse. Itaque satis apparet, disquisitionem de aetate templorum graecis titulis non profligatam esse, sed a conjuncta notarum hieroglyphicarum scientia veri cognitionem sperari posse.

*Ecclesiae christianae vestigia.*

Templi adytum multis constat conclavibus, quae nonnisi per portam primariam (ad e) atque aliam portam occidentalem (ad f) lucem accipiunt; propter sempiternam coeli serenitatem primis conclavibus paullulum claritatis est, remotiora autem ita sunt caliginosa, ut sine facibus vix adiri queant. Haud dubium est, quin antiquis temporibus magna facum multitudo adyti noctem collustraverit, neque aliam rationem hujus templi sacerdotibus fuisse censemus, quam quae in tot Italiae et Palaestinae subterraneis Christianorum sacellis etiam nunc tenetur,

*) cf. Gau Inscriptt. Nubb. XII. 47, 48.

ut in sacris publicis faces accendantur, per reliquum tempus obscuritas sit. Nihilominus mira Aegyptiorum diligentia et parietes et lacunaria signis hieroglyphicis exornavit, ac vel minimam quamque partem maxima cura elaboravit. Quamquam in hac parte tectum integerrimum remansit, tamen omnia conclavia ruinis et lapidibus impleta sunt, quae eo tempore congesta esse credimus, quo omnes in Aegypto ecclesiae christianae ab Arabibus eversae sunt. Nunc aedes pulcherrima incolas habet nullos nisi vespertiliones qui magnam parietum partem nidis contaminarunt, foedum spargentes odorem, qualis est corporum mortuorum, molestissimum illum, quo pleraque Aegypti templa et hypogea perfusa sunt. In conclavi, quod medium est inter remotissima, tria sacella monolitha granitica olim exstabant; unum Britannorum proxenus Saltius Kahiram transportavit. Quo adempto, in illa, quam obtexit, parietis parte Isidis figura apparuit, elegantissima corporis forma, opere caelato expressa. Hoc parvum exemplum est, qualis fuerit olim tota aedes. Varii colores in albo fundo conspiciuntur, quorum subtilis ars et integerrima conservatio quum quemque spectantem nunc etiam summa admiratione afficiant, quanta pulchritudine excelluisse censeas monumentum omni parte eodem modo exornatum?

*Sacella monolitha.*

Alterum sacellum monolithum in conclavi adjacente asservatur, tanta caligine involutum, ut sine duce haud facile reperiri possit. Post tertium vanum auferendi conatum in pronao subversum est. Sacella monolitha caveas fuisse accipitris sacri, teste

PARS I. Strabone (XVII, p. 818.) Philis culti, monuit Denonius (p. XXII.). Minus recte, ut nobis videtur, Hamiltonius (Travels p. 50.) ibi Osiridis defuncti corpus depositum fuisse censet, cum neque Osiridis sepulcrum in insula fuerit, nec Osiridis cultus in inscriptione ulla commemoretur.

*Ascensus ad templi tectum.* A porta (f) dextrorsum scalae leniter acclives (g) in tectum sursum ferunt. Quod templum lustrantibus eo gratius est, cum in ceteris monumentis rarissime opportunitas data sit, tectum visitandi; — est enim aut caementorum pondere prolapsum, aut ubi remansit, scalae dirutae ascensum prohibent. Eum, pui ex summo fastigio totius aedificii statum contemplatur, admiratio subit, quo fortunae favore integra hujus monumenti forma sit conservata. Maxima diligentia dispositi sunt lapides quadrati, ita ut, nulla materiatione vel concameratione adhibita, sine ansis ferreis vel subscudibus, lapidum juncturae accuratissime coëant. Summum aedificium projectura quasi lorica ambit, et ea ratione, quam Tab. II. forma 8 illustravimus, aquam pluvialem demittit.

*Stillicidium.* Duo tresve crepidines recessum habent, cujus in solo paullulum excavato et in medium inclinato canaliculus verticalis est. Infra crepidinem in externo templi pariete leonis jacentis forma prominet, atque inter pedes per canaliculum stillicidium exit. Quamquam Philis calor solis toto anno fere *idem* est, montesque circumjacentes ventos detinent, interdum tamen subitae cooriuntur tempestates, et ingenti cum fragore densissimum imbrem demittunt. Aqua autem tam celeriter diffluit, et a redeunte

sole exsiccatur, ut horae dimidio post ne vestigia quidem exundationis appareant. Eo magis opus erat stillicidio satis amplo, ne aqua in saxorum juncturas immissa aedificium dilaberetur. Quantilla sit aquae copia ex repentinis imbribus remanens et quanta aëris siccitas, eo perspicitur, quod in templi tecto nec planta nec herba ulla radices agit. Hoc autem non solum Philis, sed tota Aegypto et Nubia animadvertitur, omnibusque monumentis speciem novitatis praebet, quam omnes, qui ex Italia Aegyptum visitant, summopere mirantur. Pars I.

*Conclavia in tecto.*

Si in tecto secundos pylones versus procedimus, nonnulla reperimus conclavia minora, quorum parietes varia ornamenta habent multasque figuras, ad sacrificia pertinentes. Eorum unum nihil nisi monstrorum imagines (ita enim Aegyptiorum deos vocare licet) continet; membra humana cum crocodilorum, avium, leporum, canum, arietum capitibus, nonnumquam etiam pedibus conglutinata sunt. Circumfusa est scriptura hieroglyphica, fortasse nomina Deorum significans una cum dignitatis et rituum explicatione. Haec quidem bestiarum cum hominibus confusio ideo notanda est, quia nusquam figurae reperiuntur, duobus vel pluribus capitibus humanis, quattuor brachiis etc. praeditae, quales in Indorum fabulosis narrationibus et templorum sculpturis saepissime describuntur; atque id toto genere discrimen inter ambarum gentium religionem intercedere videtur *). Traditum etiam est a Britanno

*) Fridericus Cailliaud in insula Meroë Dei imaginem cum

PARS I. quodam centurione *); auxiliarios Indicos (Seapoys dicuntur), cum in templo Tentyritano figuras parietibus insculptas animadvertissent, humi prostratos idola adorasse, quaerentibusque ducibus, cur *id facerent*, respondisse, se Pagodarum suarum Deos reperisse. Cui narrationi quamquam fidem non detrahimus, tamen tantum abest, ut religionum cognitionem eo comprobatam credamus, ut ingenii rudis milites per levissimam simulacrorum similitudinem ipsos Deos confudisse censeamus.

In templi tecto Arabes olim habitasse, testantur tuguriorum ruinae, multis locis sparsae; probabile videtur, recentiore aetate templa castrorum loca tenuisse, quare caussam incredibilis vastationis, quam in aliis monumentis, — non in Philensibus, — observavimus, tormentis bellicis ad obsidionem adductis haud inepte attribuere nobis videmur; nullo alio modo tam ingentis magnitudinis saxa ac tam solide juncta rumpi poterant.

*Templi latibula.* Jam satis in tecto commorati sumus. Per scalas (g), ubi redieris in alio templi angulo, Eurum spectante, scalas offendes (ad h) paene collapsas; descensum praebent in subterraneas templi partes; cum extremi corruerint gradus, desiliendum est in locum plane caliginosum, ubi post paucos passus

---

tribus capitibus leonis et quattuor brachiis invenit, quae imago, si genuina et vera est, per totam Aegyptum et Nubiam similem non habet. Voyage à Meroe et au fleuve blanc Tab. XVIII. Plura animalium capita corpori humano imposita saepius occurrunt.

*) Biblioth. Britann. T. 38. Litterature p. 208. 221.

incertos aliae obstant scalae eadem directione acclives, qua priores declives; his superatis, in conclave angustum intrabis; tum ad dextram introitus patet in aliud conclave angustissimum, quo erecto quidem capite stare licet, cubitis autem ambobus dispansis murus uterque tangitur; longitudo novem pedes non excedit. Ceterum (quod Tabula I. docet) totus recessus muro laterali inclusus est. In tecti caementis unum ex ingentibus lapidibus deest; quo foramen fit fumario haud absimile. Pedum et manuum auxilio ascendes in secundum conclave, illi eo modo superstructum, ut lapides, quibus tegitur inferius, solum praebeant superiori. In parte boreali itidem foramen est in tecto, quo ad tertium conclave, duobus inferioribus simillimum, ascenditur. Huic rarissima immittitur lux per spiramen exiguum, digitum latitudine vix superans, quod, si murum externum contempleris, oculos facillime fugit, tum propter exiguitatem, tum quia sculpturae hieroglyphicae conspectum turbant. Per spiramen intus proximas insulae partes adspicienti haud difficile est, conclavium situm in templi muro constituere, cum ex opposito Nili ripa orientalis et montium arabicorum tractus conspiciantur. Tanta autem est vis radiorum solis, insulam et montes illustrantium, ut per spiramen ex tenebris illis spectanti tota regio quasi ardere videatur, et umbrae, in his regionibus, ut constat, densissimae et fere nigrae, jam subrubicundae appareant.

Aliud conclave tertio superpositum non reperimus, neque tectum pulsando tentatum sonum illum

Pars I. edidit, quo specus absconditum detegitur. In his conclavibus opinamur belli temporibus templi opes repositas fuisse. Quae cum sine duce adiissemus, multum gavisi eramus, nos primos invenisse, mox candela parieti admota haud pauca viatorum nomina ibi inscripta nobis patefecit, qui ante nos fortasse in eundem errorem inciderant.

Annotatum volumus praeterea de his latibulis, jam inde a primis scalis nusquam figuras hieroglyphicas conspici, quae tamen in aliis locis, aeque lumine destitutis, qualia sunt hypogea, frequenter inveniuntur; tria, quae diximus, conclavia in animum revocant pyramidum cuniculos, pari modo pulvere et fuligine sordidos, omnique ornamento destitutos. Totam illam templi partem sacerdotum tantum usui patuisse, loci natura docet.

Ejusmodi recessum, cujus et in aliis templis non desunt exempla, si sedulo consideraveris, non poteris non aedificii subtilitatem mirari; sive a parte exteriore, sive ab interiore templum examinas, conclavia non animadvertes; vel in descriptione in areis maxima opus est diligentia, quo murum orientalem paullo crassiorem esse quam occidentalem intelligas. In tabula gallica muri crassitudo ibi eadem est, quae in reliquis partibus, quod eo magis miramur, cum in secunda libri editione *) conclavium mentio facta sit **).

Con-

---

*) Pag. 21. edit. Panckoucke.

**) Neque hoc fugit Letronnium, qui recte observavit, adyti muros non parallelis lineis exstructos esse. Journal des Savans 1818. pag. 304.

Pars I.

Contra hostium vicinorum incursionem satis munimenti erat, aditum ad scalas muro lateritio clausisse; et ne muro quidem everso, ac primo conclavi patefacto, promptus fuit aditus ad secundum et tertium, dummodo foramini lapis exemptilis accurate insertus esset.

---

*Aedes occidentalis non absoluta.*

Jam vero absconditos templi recessus relinquamus, temploque circumjacentem examinemus regionem, quam totam veterum et recentiorum aedium ruinae obtegunt. In parte boreali minima est saxorum congeries, in occidentali, qua aedificia proxime ad aquam accedunt, monumenta nonnulla eversa sunt, alia, antequam ad culmen pervenerunt, derelicta. Murorum postes cum foribus jam erecti stant; circumfusa est saxorum quadratorum magna copia, tam rudium, quam laevigatorum, architecti manus etiamnunc quasi exspectantium, quibus aedificatio persolvatur. In muri parte (ad i) totam facile rationem cognoscas, quam in scalpendis formis hieroglyphicis secuti sint veteres. In summa muri parte imagines apparent, quibus extrema manus jam imposita est, paullo infra lineamenta tantum saxo incisa — tum lineamenta colore rubro praescripta sunt, a latere pauci versus eodem colore, literis expressi incognitis (quae neque sacris, neque hieraticis papyrorum comparandae sunt), forsitan sculptoris brevia praecepta contineant, de figuris accurate conficiendis opificibus data; — ubi de-

PARS I. ficiunt adumbrationes, murus est laevigatus — infra autem saxis rudibus exstructus.

Quinque igitur diversos labores in eodem muro simul una inceptos vides, neque dubium est, cum in Aegypto vetere populus universus in singulas tribus segregatus fuerit, quin etiam singulae opificum tribus sua quaeque negotia obierint.

*Tabula supra portam,* Supra portam oppositam (k) tabula quadrata conspicitur, coloribus nitidis resplendens; libenter praetermitteremus in tanta tabularum copia, nisi opinionem minus rectam, ut videtur, de insulae sacris et Osiridis cultu excitasset. In ima tabulae parte, supra januae lumen, corpus defuncti expressum est, fascibus involutum (mumia nunc dicitur), in crocodili dorso resupinum jacens. Nilum fluvium nonnullis plantarum aquaticarum stipitibus indicari censemus. Lacum quoque Acherunticum, arundine obsitum, cernere se credat, qui tabulam Graecae originis esse existimet *). In parte superiore figurae omnes fere deletae sunt; sedentis lineamenta, circulo inclusa, aegre cognoscuntur; summam tabulam tenent duodeviginti stellae inter Solem et Lunam una serie dispositae. *temere ad Osiridis mortem relata.* Tabulam, in magno expeditionis Gallicae opere jam expressam, ex schedis nostris

---

*) Mirabuntur fortasse nonnulli, quod de his sculpturis tanta dubitatio esse possit; sed illi reputent secum, quam incerta sint argumenta et indicia, e quibus de Aegyptiacorum monumentorum aetate et indole judicari possit; nec facile in ipsa templorum architectura aut incunabula artis aut progressus dignoscas.

repetendam censuimus *), cum a nonnullis uberius de ea expositum sit. Vulgo ad mortem Osiridis relata est **), sed repugnat primum Diodori Siculi locus gravissimus (I, 22.), ubi Osiridis sepulcrum non in Philis ipsis, sed in insula prope Philas collocatum esse dicitur, deinde de corporis asportatione in crocodili dorso in mythologia nihil traditum est. Defuncti corpus, tabula nostra expressum, nullum exhibet signum, quo de Osiride conjecturam facere possis; capitis ornamentum notissimum, apicem, vitta sacerdotali condecoratum, desideramus, haud dubie eum a sculptore adumbratum, si Osiridem designare voluisset. Quid? quod superposita in circulo figura, atque ornamento, quod volumus, insignita, Osiridem innuit, qualis in templis, hypogeis et papyris depictus est.

Accedit aliud gravius quoddam, ut nobis videtur, argumentum. Si tabula illa Osiridis mortem ostenderet, non supra portam collocata esset adjunctam et secundariam, magno templo ne contiguam quidem, cujus januae origo Aegyptiaca, quippe operis imperfecti, in dubium vocari potest ***); — vide-

*) Tab. II. Forma.

**) Lancretus Déscr. p. 44. Hamiltonus Aegypt. p. 50. Creuzerus in commentt. Herod. p. 182 sqq.

***) Sententia igitur Lancreti (p. 45.) minime probata nobis est: Mais quoique cette salle n'ait jamais été finie, il est permis de conjecturer, d'après les scènes, qu'on y voit, qu'elle devoit être un des édifices de l'île les plus sacrés; c'est ce qui confirme encore le grand nombre d'inscriptions en caractères cursifs Egyptiens, que l'on y a tra-

Pars I. remus potius hujusmodi symbola in sepulcro ipso, quod ut templi formam prae se ferre concedas, tamen nullum vestigium mortui Osiridis continet. Etiamsi, quae nunc deletae sunt, figurae remansissent, tamen de tabulae illius significatione omnino nihil certi declarare auderemus. Tantilla enim memoria de Aegyptiorum antiquitate prodita est, tam confusa omnia, quae de Deorum cultu ad nos pervenerunt, tam incerta adhuc literarum sacrarum cognitio, ut, licet maxima diligentia scriptorum testimonia colligas, paucissima tamen pro certo affirmare possis, plurima ut ambigua vel incognita relinquas. Sed in hujusmodi disquisitionibus satius est, inscitiam profiteri, quam incomperta et dubia in medium proferre.

Crocodili forma integra, qualis tabula nostra expressa est, alias non frequenter reperitur. Dii *κροκοδειλοκέφαλοι* haud raro occurrunt, et in hypogeis Thebanis magna vis crocodilorum, fascibus involutorum, variae magnitudinis inveniuntur.

*Celsi inscriptio.* Juxta portam (k) in illa muri parte, quae aquam spectat, inscriptiones graecas nonnullas invenimus, quarum unam, accurate a nobis depictam, huc referre placet:

ICIΔIKAPΠOTOKΩKEΛCOCTOΔEΓΓAMANE
ΘHKAMNHCΘEICHCAΛOXOYKAITEKEΩN
ΦIΛIΩN

---

cées. Il semble que cette salle étoit un lieu de pélérinage, où les voyageurs pieux aimoient à inscrire leurs noms et peut-être les motifs de leur voyage.

ΚΑΙΠΑΤΡΗΣΓΛΥΚΕΡΗϹΠΤΟΛΕΜΑΙΔΟϹΗΝΕΠΟΙΗϹ
ϹΕΝϹΩΤΗΡΕΛΛΗΝΩΝΝΙΛΟΓΕΝΕϹΤΕΜΕΝΟΣ

*Ἴσιδι καρποτόκῳ Κέλσος τόδε γράμμ' ἀνέθηκα*
*Μνησθεὶς ἧς ἀλόχου καὶ τεκέων φιλίων,*
*Καὶ πάτρης γλυκέρης Πτολεμαΐδος, ἣν ἐποίησεν*
*Σωτὴρ, Ἑλλήνων Νιλογενὲς τέμενος.*

In disticho priore Π est pro *Π*, ω pro *Ω*, ϵ pro *Ε*, Λ pro *Α*, in uno *ἀνέθηκα* prius alpha est *Α*; in disticho posteriore ϲ pro *Σ* in *πάτρης* et *τέμενος*; *ΛΛ* conglutinatum, *Α* solita forma. Secundum distichon paullo minoribus literis expressum, serius ab ipso Celso appositum videtur. Non offendunt in inscriptione formae: *ἐποίησσεν* et *Νιλογενής* *); etiam *γράμμα* per unum *Μ* scriptum est. Quarto versu comma post *Σώτήρ* ponimus, ne ultima verba languida fiant.

Haec inscriptio de tempore Ptolemaidis conditae certiores nos facit. Multae sunt urbes nomine Ptolemaidis, nostro carmine autem Thebaidis Ptolemais **) significatur, cujus conditorem Ptolemaeum Soterem fuisse jam suspicatus est clar. Boeckhius in explicatione papyri graeci (p. 16.), simul afferens, regi in urbe sua templa et sacerdotes constitutos fuisse. Ptolemaidem nostram in parte Nili Libyca inter Apollinopolim parvam et Abydum sitam fuisse, docet Itinerar. Antonini, ed. Wesseling. p. 158., quocum

*) *Νείλοιο πρὸς πῖον τέμενος Κρονίδα.* Pind. Pyth. IV, 99. ed. Boeckhii.

**) *Ἑρμίου Πτολεμαΐς.* Cf. Wesseling. ad Hieroclis Synecd. p. 731.

Pars I.

facit Strabo XVII, 1167: ἔπειτα Πτολεμαϊκὴ πόλις μεγίστη τῶν ἐν τῇ Θηβαΐδι, καὶ οὐκ ἐλάττων Μέμφεως, ἔχουσα καὶ σύστημα πολιτικὸν ἐν τῷ Ἑλληνικῷ τρόπῳ. Ὑπὲρ δὲ ταύτης ἡ Ἄβυδος —

*Scalae occidentales.*

Hactenus de inscriptione; jam ad monumenta redeamus. In ripa insulae occidentali scalae lapideae (t) ad flumen aditum praebent. Singuli gradus, in latitudinem fere pedum duorum prominentes, molestissimi sunt descendentibus, vel adeo periculosi. Ferrei munumenti vestigia in extremis gradibus non reperimus, quamquam ea olim exstitisse certum est; nullo alio modo commode descendi poterat. Has scalas nunquam appellentibus cum pompa navibus locum dedisse, angustia graduum declarat, potius incolarum caussa ad aquam expedite hauriendam videntur exstructae esse.

*Templum orientale.*

Circumeuntibus hinc extrema templi, peristyliumque (A) repetentibus, in parte insulae orientali parvum sacellum superest (m), non tam eleganti forma exstructum, quam cetera, quae visitavimus aedificia. Circumjecta sunt Arabum tuguria nunc deleta, quo difficilior nobis erat monumenti investigatio. Neque parvum in nos redundabat incommodum, quod tres anus, quae solae insulam habitant, templum occupaverant *), nec veteres sacerdotes majori diligentia templi sacra servasse credimus,

*) Inde Galli huic templo nomen indiderunt: témple de la vieille femme; haud spernendo illo Gallico more, quo singulis monumentis eorumque partibus memoriae caussa nomina ex re aliqua fortuita imponuntur.

quam harum est studium et anxietas in arcendis ab illo domicilio peregrinis. Appropinquantem quemque diris excipiunt et horrendis imprecationibus; ingredientem magno clamore, imo manibus repellere conantur, recedentem conviciis longe sectantur. In parte templi occidentali hanc inscriptionem mutilam, epistylio appositam, vidimus: PARS I.

— ΙΕΡΤΙΑ ΕΠΟΙΗϹΕ — Η — ΦΡΩΔΕΙΤΗ —

*Veneri dicatum.*

Primum vocabulum finem esse apparet nominis feminini et Romani quidem, ut Propertia vel Mamertia; sed in hoc non haereamus; majoris momenti videtur verbum ἐποίησε, quod rarius in hujusmodi dedicationibus legitur. Reliquam inscriptionis partem ita supplemus: ΤΗΙ ΑΦΡΩΔΕΙΤΗΙ; — articulus praeter consuetudinem positus, ω et ει neminem offendent. Literae praeterea magna cum incuria lapidi sunt inscriptae. Si verbum ἐποίησε ad templi constructionem referretur *), haec inscriptio novum argumentum suppeditaret opinioni, quae nuper invaluit, recentiore tempore Graecorum Diis in Aegypto templa exstructa esse. Melius autem ad ἐποίησε, εὐχήν vel προςκύνημα assumitur. Inscriptionem negligentius exaratam, loco minus apto positam, Romanae mulieris votum esse censemus. Ipsa aedificii elegantia longe discrepat a tituli tenuitate.

Non satis compertum habemus, num sacellum, modo memoratum, idem sit cum eo, cui Banksius inscriptionem Ptolemaei Evergetis II. tribuit. Exhi-

*) Letronne l. l. p. 422 sqq.

PARS I. bet dedicationem, Veneri factam a rege, Cleopatra sorore et Cleopatra uxore, circa annum 127 a. Ch. n. *). Qui sacellum a rege Ptolemaeo Veneri exstructum esse credunt, cum parum probabile sit, regem Evergetem II. hoc sacellum cultui Aegyptiaco quasi eripuisse et Graecae Deae consecrasse, — ii perpendant, velim, notissimum illum Graecorum morem, quo omnino nullos alios Deos agnoscunt, quam Graecos, eosque etiam apud barbaros, mutato tamen nomine, sibi invenire videntur. Apud scriptores non legitur, Aegyptios v. c. Nephtyn colere, sed Venerem ab iis Nephtyn dictam; ita Osiris cum Baccho et Jove, Isis cum Io, Horus cum Apolline etc. confunduntur, unde inextricabilis ille error mythologiae Aegyptiacae a Graecis nobis servatae est ortus **). Quibus perspectis, non absurda videtur opinio, Evergetem II. in templo Aegyptiaco Nephti exstructo votum Veneri factum supra pronai portam inscripsisse, id quod cultui Aegyptiaco nullum damnum afferre potuit ***).

*Cuniculus.* Inter sacellum (m) et ripam insulae orientalem introitus est ad cuniculum (n) lapide quadrato exstructum, recta linea ad porticum orientalem decurrentem. Paucos tantum passus in eo procedere nunc licet: lapides enim sparsi progredientem impediunt, mox parietes collapsi viam plane obstruunt,

*) Letronne l. l. p. 90.

**) cf. Herod. lib. II. Plutarch. de Iside et Osiride. Diod. Sic. lib. I.

***) Letronne l. l. p. 94.

neque statuere ausimus, utrum omnino imperfectus sit, an temporum injuria vastatus.

Extrema insula septentrionalis plena quidem est ruderum, non autem lapidum quadratorum; quare urbem, a scriptoribus memoratam, ibi exstitisse, templa autem et sacraria partem australem obtinuisse haud absimile videtur. In ripa boreali (ad r) Romana est aedificatio, quam arcui triumphali comparare licet. Tribus constat fornicibus; medius, qui ruinis concidit, duos adjunctos altitudine superaverat. In mensurarum rationibus cum ceteris arcubus triumphalibus Romanorum congruit. Ornamentis plane caret; lapidum quadratorum superficies partim asperrima est, partim caelo obiter formata, quapropter non mirum, quod in opere imperfecto, in cujus honorem exstructum sit, inscriptione non declaretur *). Fornicum verticibus vocabulum SANCTVM est inscriptum. Murus, arcus nostri fundamentum, remotiorem antiquitatem monstrat, forma quadrata quasi propugnaculum in fluvium procurrit. Reliquus murus hanc insulae partem cingens diverso tempore exstructus fuit, quod vario caementorum opere facile perspicitur; murum in interiore insula (s) lapide quadrato constitutum, nullo majori aedificio contiguum, ideo in tabula notavimus, quia in boreali insulae parte altissimum

*Arcus triumphalis Romanus.*

*) Arcum triumphalem, huic simillimum, majorem tamen, olim exstitisse vidimus in Antinoï urbe (Déscript. de l'Egypt. Antiqu. V. Pl. 57.), quam ab Hadriano imperatore conditam esse scimus; neque multum aetate differre videtur arcus Philensis ab Antinoënsi. —

 locum tenet, ex quo monumenta pleraque, montes circumjacentes et cataractae primi scopuli oculis patent. Plures in litore palmarum proceri stipites *et* densa cassiarum virgulta inveniuntur, umbrae caussa acceptissima. Quotienscunque a Syene advenimus, maxima nos laetitia viridis eorum adspectus et grata distributio implevit.

*Monumentorum in insula distributio.*

Cum ita totam insulam pervagati simus, superest, ut adhibita tabula I. ad aedificiorum distributionem quasi praetereuntes animum vertamus. Maxima igitur monumentorum pars in ripa occidentali posita est, et ipsa aedificia inde a scala meridionali (H) usque ad extremum templum ita ordinata sunt, ut curvata linea insulae oram sequi videantur. In parte boreali antiquitus urbem sitam fuisse, supra monuimus. Magnum templum in ripa occidentali quattuor pylonibus (C et N) ornatum quasi caput aedium fuit, cujus posticae partes Aegyptum et septentrionem, anticae autem Aethiopiam et meridiem spectant; aditum praebent ambae porticus (D et E) cum peristylio australi (I), cui scala magna ad fluvium deducens adjacet (H). Haec quin vetustiora insulae monumenta sint, ob rationes in disquisitionis initio allatas haud dubitamus. Atque ibidem quaerenda sunt delubra illa antiqua, si omnino exstant in insula, quae priscam incolarum opulentiam Pharaonum aetate testantur. Reperiantur licet in illis regum Ptolemaeorum et Caesarum n o m i n a, literis hieroglyphicis vel graecis expressa; nos quidem in animum non inducimus, — nisi omnia alia, quae parietes ornant, signa explicata sint, — tem-

plum maximum Graecorum vel Romanorum aetate exstructum esse *). PARS I.

Multa in ripa occidentali aedificia (P, P¹) ruinis collapsa, multa nondum absoluta sunt, sed quando corruerint, vel ab opificibus derelicta sint, terminari non potest.

Posteriore tempore, cum jam Philae Aegyptiacae essent ditionis, et scala in fine australi posita circuitum navibus incommodum afferret, magno templo peristylium (A) et porta (B) adjecta videantur; sed ne de horum quidem aedificiorum aetate certi quidquam proferri licet.

Tertium appulsum prope arcum triumphalem Romanum fuisse, manifestum est **). Quodsi con-

*) Champollion minor (epistola XII.) in templo Latopolitano (ad pagum Esne) nomina Ptolemaei Epiphanis, Claudii imperatoris, Vespasiani et Titi, Domitiani, Trajani, Hadriani, Antonini, M. Aurelii, Commodi, Sept. Severi, Getae et Caracallae, literis phoneticis, quas vocant, legit, quam rem eo minus in dubium vocamus, quo magis Champollionis methodum in explicandis signis hieroglyphicis ut unice veram probamus; nec tamen quae e nominibus collegit concedimus, nempe singulas templi columnas et parietes a singulis regibus inscriptis, quorum regna spatium 421 annorum comprehendunt, exstructa esse. Quis enim non intelligat, reges imperatoresve, aedificii pulchritudinem et sanctitatem admiratos, vota sua diversis templi partibus inscripsisse, itaque nomina aetatem, quo monumentum exstructum fuit, non definiunt. Certiore via, disquisitionibus historicis, zodiacos illos famosos recentiori aetati vindicavit Letronnius in observationibus criticis. (Observations critiques et archéologiques sur les représentations zodiacales 1824.).

**) Addenda est Champollionis distributio monumentorum Philensium, Epist. XI. proposita: „Parvum templum me-

Pars I. stat, locum appellendi in insula bis vel ter mutatum, et a meridie ad septentrionem demotum esse, non possumus, quin sacrorum Philensium origines ad remotissimam referamus antiquitatem.

---

*Philae viatoribus statio gratissima.* Si quem viatorem delectat, in monumentis operam collocare et antiquitatem inquirere, nullus locus tota Aegypto majorem commorandi commoditatem afferet Philis. Quae enim alias dispersa jacent, nec sine labore investigantur, ea omnia Philis conjuncta sunt. Quamquam enim cetera Aegypti templa maxima ex parte haud longe a Nilo distant: nonnulla tamen, fluvio tumescente, satis longinquo itinere per aggeres et ambages adeunda, alia per montes remotos petenda sunt; — Philis autem monumenta omnia, angustissimo loco comprehensa, paucorum passuum spatio disjunguntur. Si igitur per plures dies ibi commorari statueris, noli in navi-

---

ridionale, Deae Hathor a Nectanebo, ultimo Aegyptiorum rege, dedicatum, et porticus Imperatorum Romanorum tempore exstructa sunt. Magni templi primum atrium a Ptolemaeo Philometore, adytum a Philadelpho, pronaon ab Evergete II. condita; sculpturae autem regnantibus Augusto et Tiberio adjectae sunt. Inter ambos pylones magni Isidis templi ad laevam sacellum columnis ornatum exstat, Deae Hathor et Isidi Ὡροτόκῳ dicatum, cujus antiquissima pars Ptolemaeum Epiphanem vel filium Evergetem II. auctores habet, aedificium ad dextram Philometori est adscribendum.“ — A quo vehementer discrepat Lancretus in Descriptione pag. 111, affirmans: recentissima Philarum aedificia Aegyptiaca minimum ante hos 2300 annos exstructa fuisse.

cula angusta remanere, sed ante porticum orientalem tentorium colloca, et in adjacentibus monachorum cubiculis domicilium constitue. Neque de victu tibi cura sit; nuncius enim de adventu tuo per insulas adjacentes et propinquos Nubarum pagos celerrime divulgatur, cumque lucri avidissimi sint et Arabes et Nubae, tantam alimentorum copiam asportant, ut aliqua cum abundantia coenam parare possis. Cum incolis destituta sit insula, in monumentorum perquisitione nullam molestiam afferunt Arabes otiosi, qui in pagis Aegyptiacis maxima pertinacia viatores consectantur. Ceterum totius insulae, undique montibus cinctae, coelum calidissimum est, qua in re vix a Thebana regione superatur *). Praecipue circa meridiem solis radiis vis quaedam pungens inest, qua molestissime afficiuntur ambulantes; eo gratiores sunt temporis matutini et vespertini refrigerantes aurae, nec non suave refugium offerunt templorum alta tecta. PARS I.

*Prospectus e summo pylone.* Pulcherrimum tibi erit spectaculum ex summo pylone, altissimo insulae loco, solem occidentem contemplanti. Montes Libyci, soli obstruentes, insulam obumbrant, dum litus Nili orientale montiumque Arabicorum juga clarissima luce splendent. Septentrionem versus proxima cataracta conspicitur, cujus strepitus aestuosus, pro venti flatu, acutiore vel graviore sonitu ad aures pervenit. In litore orientali duo saxa ingentia cernuntur, primo

---

*) Saepius observavimus, thermometrum in tentorii umbra trigesimum caloris gradum Reaum. indicasse.

 adspectu quasi reliquiae statuae sedentis; accuratius indagantem non fugit, his saxis in ima tantum parte caelum admotum esse, qua figurae nonnullae, adjecta scriptura hieroglyphica, insculptae sunt. Si Eurum versus oculos conjeceris, montium umbras, sole ad occasum vergente, violaceas videbis, Meridiem versus, ubi Nilus inter Aethiopiae montes promanat, cacumina omnia litoris Arabici pulcherrimo purpureo colore imbuta sunt. Tam breve autem est inter diem et noctem crepusculum, ut, si vix horae dimidium post solis occasum in summo pylone remanseris, in coeli plaga occidentali stellam Achernar conspicias, in orientali Leonis signum, in australi Canopum aliaque sidera, hemisphaerio boreali non visa.

# Pars II.

## *De Aegypti finibus meridianis et historia Philensi.*

De Philarum etymologia, quae multorum acumen excitavit, pauca praemittenda sunt. Ex lingua Arabica, Hebraica, Coptica, Graeca nomen derivatum est. Bochartus in geographia sacra I, 4, 26. ab ebure nomen ducendum credit, quo tempore Philae et Elephantine, ex eadem re sed diversis linguis denominatae, interioris Africae commerciis clarae fuerint. — Zoëga de obeliscis p. 286. a verbo Coptico phelh (i. e. allidere vel percutere) nomen derivat propter cataractam in propinquo positam; parum accepta erit haec opinio illis, qui loca ipsa visitarunt, cum Nilus circa Philas, placido aequore adveniens, quasi in lacum expansus videatur, et cataractae primi scopuli e longinquo tantum conspiciantur. Sed si tecum consideraveris, fere omnia Aegyptiacarum urbium nomina a Graecis nobis

Pars II. *Philarum etymologia.*

Pars II. Graeca versione tradita esse *), Philas quoque a Graeco φίλος propter loci amoenitatem dictas esse haud immerito existimes. Similitudo vocabuli Arabici fil (elephas) nequaquam huc trahenda est. Quas in scriptoribus antiquis etymologias habemus, omnes in Graeca origine consentiunt, quamquam ipsa derivatione diversa: Servius ad Aneid. VI, 154. „circa Syenen esse locum, quas Philas, i. e. amicas vocant, quia illic placata est ab Aegyptiis Isis irata" — et Scholiastes Lucani Phars. X, 313. ed. Oudendorp. „Philae urbs prima Aegypti, Aethiopiae contermina, apud quam, diu tractis bellis Aethiopes et Aegyptii arma posuerunt, in amicitiam revertentes, unde civitas ἀπὸ τῆς φιλίας nomen accepit." Haud scio an scholiastes secutus sit Procopium, qui fere eadem refert, de bello Persico lib I. c. 19. ed. Hoeschel: καίτοι καὶ νῆσόν τινα ἐν ποταμῷ νείλῳ ἄγχιστά πη τῆς ἐλεφαντίνης πόλεως εὑρὼν ὁ βασιλεὺς οὗτος, φρούριόν τε ταύτῃ δειμάμενος ἐχυρώτατον κοινούς τινας ἐνταῦθα νέως τε καὶ βωμοὺς ῥωμαίοις τε καὶ τούτοις δὴ κατεστήσατο τοῖς βαρβάροις· καὶ ἱερεῖς ἑκάστων ἐν τῷ φρουρίῳ τούτῳ ἱδρύσατο, ἐν τῷ βεβαίῳ τὴν φιλίαν αὐτοῖς ἔσεσθαι τῷ μετέχειν τῶν ἱερῶν σφίσιν οἰόμενος, διὸ δὴ καὶ φίλας ἐπωνόμασε τὸ χώριον. — Neque discrepat ab etymologia Graeca nomen insulae Arabicum: انس الوجود Anes-el-wodjud, hilaritas naturae, cujus nominis significationem incolae nunc plane

*) v. c. Apollinopolin, Diospolin, Eilithyiam, Elephantinen etc.

plane ignorant, cum Burckhardto *) teste regem quendam potentissimum Wodjud finxerint, qui Philarum templa condiderit **). Champollion minor olim verbum copticum pilak (remotus, extremus) nominis fontem esse voluit; aliam deinde derivationem, ex templorum inscriptionibus haustam, epistola XI. proposuit: „Philae insula denominata erat Manlak, quod a Coptitis in Pilak, ab Arabibus in Bilak, a Graecis in Philae est mutatum.“ — Jam in eo errat vir doctissimus, quod Philas hodie Bilak nominari affirmat; multa insulae nomina audiet viator, ea non propria, sed appellativa, qualia sunt: Geziret-el-Birbeh ***) (insula templi), Geziret-el-Kasser (insula castelli), Anes-el-Wodjud, et alia, prout Nubarum vel Arabum tribus interrogaverit; Belak autem parva insula est in media cataracta inter Syenen et Philas, teste Macrizio apud Burckhardtum †). Jomardus in Elephantines descriptione omnes insulas, cataracta comprehensas, uno nomine fil nuncupatas fuisse putat ††), sed perpendat velim, regionem quidem con-

*) Travels in Nubia, p. 4.

**) cf. clar. Josephum ab Hammer in: Wiener Jahrb d. Litt. XLV, p. 47.

***) De vocabulo coptico Birbch luculenter egit Silv. de Sacy in: Notices et extraits etc. I, p. 270.

†) Travels in Nubia p. 519.

††) p. 208. §. VI. Si l'on considère, qu'au dessus de Syène le Nil coule entre des montagnes escarpées, que son cours èst semé d'îles nombreuses, que le fleuve dépose dans ces îles plutôt que sur ces bords le limon végétal, ce qui donne à toutes ces îles une existence semblable et com-

Pars II tiguam majorem minoremve uno nomine comprehendi posse — sicuti cataractae regio ab Arabibus Schellal dicitur —, singulas autem sparsasque insulas cujusvis insulae incolis diversa denominatione distinguendas fuisse.

Omnino disquisitiones de nominum propriorum etymo parvi momenti sunt, minimi autem urbium derivationes, quae ad historiam et geographiam dilucidandam parum ut constat conferunt.

*Scriptorum testimonia.*

Cum in dissertationis initio opinionem ex monumentorum dispositione nobis probatam attulerimus, Philas insulam antiquitus non ad Aegyptiorum regnum pertinuisse, operae pretium est, scriptorum non solum de hac insula sed etiam de finibus Aegypti meridionalibus testimonia in brevem conspectum ponere. Qua in re egregie nos juvarunt, qui prius huic rei operam dederunt *), neque denuo ad eam inquirendam accederemus, cum jam ab hominibus ingeniosissimis tractata sit, nisi ex illo tempore viatorum cura et industria multa nova et

mune, qu'enfin le nom Elephantine n'est autre chose que celui de Philae traduit en grec, et que celui de Philae est le nom antique d'Elephantine avec une finale grecque, on peut conjecturer, que jadis toutes ces îles repandues dans le fleuve, au-dessus et au-dessous de la dernière cataracte, portoient le nom commun de fil. J'ajoûterai une remarque décisive, c'est que la finale qu'on a jointe au mot fil est le signe de la pluralité. —

*) Creuzerus in commentt. Herodot. p. 175 sqq. Ritterus in Geogr. I. p. 680 sqq. Niebuhrius apud Gavium p. 7 sqq.

in Aegypto et in Nubia inventa essent, quibus opiniones antea vulgatae multum mutantur. Pars II.

Antiquitatis scriptores ad Thebaïdis geographiam emendandam cum perlustraremus, fugere nos non potuit, quantopere singuli auctoritate differrent in rebus geographicis, qua in re non parvi est momenti, statum terrarum, qualis hodie apparet, cum veterum scriptorum narrationibus comparare. Tanta enim est dissensio inter ipsos, quos vocamus, classicos scriptores, ut sine status praesentis cognitione verum aegre erui possit. Qua de caussa geographia antiqua maximo semper gaudio nobis fuit, cum non solum ad scriptores bene intelligendos opem ferat, eosque innumeris locis emendet et purget, sed etiam a statu hodierno illustrata eumque mutuo illustrans ad recentiorum temporum historiam investigandam incitet.

*Herodotus.* Ab Herodoto igitur historiae Graecae patre atque principe incipientibus mirum nobis videri possit, quod libro II. et III., ubi copiose Aegyptiorum res tractat, nusquam Philarum mentionem faciat; neque hoc ideo factum censemus, quod Hecataeus Milesius Aegyptum superiorem uberius tractaverit *), nam etiam Thebarum et Syenes apud Hecataeum memoria esse debuit, quarum nomina nihilominus apud eundem Herodotum reperiuntur; — sed quod scriptoris nostri tempore Philae ultra Aegypti fines positae fuerint. Locis, ubi de Aegypti finibus me-

*) Creuzer. commentt. Herod. p. 176.

Pars II. ridiem versus tractat, accurate collatis, apparet eum Elephantinen, quam ipse visitavit (II, 29.), et cataractam terminos habuisse. Ubi Aegypti longitudinem indicat *) et de terrarum divisione disserit **), oraculum refert ab Ammone editum quaerentibus Mareae et Apidis incolis, utrum Aegyptii essent, necne ***)? — ubi Nili cursum describit †), ubique memorat Elephantinen. Jam autem regis Psammetichi tempore Aegyptiorum praesidium contra Aethiopes in Elephantine collocatum fuisse Noster declarat II, 30., militum defectionem a rege illo narrans: *ἐπὶ Ψαμμητίχου βασιλέος φυλακαὶ κατέστησαν ἔν τε Ἐλεφαντίνῃ πόλι πρὸς Αἰθιόπων καὶ γὰρ ἐν Ἐλεφαντίνῃ Πέρσαι φρουρέουσι* — quae antiquissima nobis certa notitia de Aegypti finibus meridianis esse videtur.

Si quis in eo haerere velit, Elephantinen ab Herodoto nusquam insulam, semper urbem ††) appellari, hanc dicendi rationem et alias occurrere meminerit, ubi insulae et urbis nomina congruunt †††).

---

*) II, 9. *τὸ δὲ ἀπὸ Θηβέων ἐς Ἐλεφαντίνην καλεομένην πόλιν στάδιοι χίλιοι καὶ ὀκτακόσιοί εἰσι.*

**) II, 17. *εἰ δὲ τῷ ὑπ' Ἑλλήνων γενομισμένῳ χρησόμεθα, νομιοῦμεν Αἴγυπτον πᾶσαν, ἀρξαμένην ἀπὸ Καταδούπων τε καὶ Ἐλεφαντίνης πόλιος, δίχα διαιρέεσθαι.*

***) II, 18. *Αἰγυπτίους εἶναι τούτους, οἳ ἔνερθε Ἐλεφαντίνης πόλιος οἰκέοντες ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τούτου πίνουσι.*

†) II, 29. *οἰκέουσι δὲ ἀπὸ Ἐλεφαντίνης ἄνω Αἰθίοπες ἤδη.*

††) II, 9. 17. 18. 29 (bis). 30. 69. 175 (bis). III, 19.

†††) de Elephantine urbe et insula cf. Jos. B. Jud. IV, 10, 5. Arrian. de exped. Alex. III, 158.

Quomodo ante Psammetichi aetatem res sese habuerit, in incerto relinquendum est; tamen non possumus, quin hoc loco viri doctissimi addamus sententiam gravissimam: historiam priscorum Aegypti temporum labyrinthum, neque amplius Ariadnes filum, Chronologiam dicit, in manibus nostris esse *). Pars II.

Alia ratio, cur in Herodoto Philarum nomen non quaerendum sit, in eo posita, quod res in terris gestas, non terras enarrare voluit, neque itineris memoriam reliquit ut Pausanias, sed terrarum, quas visitavit, historiam, incolarum mores explicavit, omnia ad Graecorum contra Persas bellum referens. Quo factum est, ut locorum insignium, quae viderat, ea tantum nominat, quae omnibus caeteris aut divitiis aut monumentorum magnitudine et splendore antecellebant. Item in libro secundo res Aegyptiacas complectente maxima solertia omnia de terrae natura et historia collegit, quod eo majore admiratione dignum est, quod linguae Aegyptiacae non peritus fuit, et quae refert, ex interpretum narrationibus, plerumque fabulosis, non parvo hercle labore extricavit. Aegyptiorum origines (II, 1—3) et Aegypti mensuras (4—16) paucis adumbrans, de Nilo fluvio abundantius (17—34) tractat; sacra Deorum (42—64) et bestiarum cultum (65—76) parcius pro desideriis nostris tangit, de condiendis cadaveribus (85—90), de Aegypti animalibus et plantis (93—95), de Nili denique exundatione (98) memoratu dignissima affert; deinde hi-

*) Ideler Chronol. I, 190.

Pars II. storiam regum Aegypti et Cambysis (usque ad III, 37) laudabili cum prolixitate narrat, nusquam autem urbium, quas in itinere visitaverat, indicem exhibuit, rarius templorum mentionem facit, plerumque quasi praeteriens, cum infinita eorum multitudo in Aegypto esset. Totum regnum sub Amasis imperio viginti millia urbium comprehendisse, ipse auctor est II, 177. Majora tantum monumenta uberius tractat, ut labyrinthum et pyramides, cetera nonnisi cum regum, qui exstruxerant, memoria. Etiam si Philas vidisset, non commemorasset fortasse, cum non tam monumentorum magnitudine praecellat insula quam situs amoenitate, cui omnino veteres nihil tribuerunt.

Denique insignem etiam apud Aegyptios loci sanctitatem silentio praetermissam esse, neminem offendet, qui, quanta verecundia in rebus divinis, maxime Aegyptiacis, Herodotum tenuerit, cognitum habet *).

*Stephanus Byzantius.* Stephani Byzantii (vel epitomatoris ejus) et commentatorum error, jam a clar. Oudendorpio commemoratus (ad Lucan. Phars. X, 320), paucis tangendus est. Dicit enim s. v. *Φίλα*: — *ἔστι καὶ νῆσος Αἰγύπτου, Ἡροδότου τετάρτῃ, ἐπὶ τὸν πόταμον τὸν μέγαν, ᾧ ὄνομα Τρίτων ἐστὶν ἐκδιδόντος ἐς λίμνην μεγάλην Τριτωνίδα.* — Cum in omnibus Herodoti editionibus Lib. IV. c. 178 *Φλὰ*, non

---

*) II, 3. extr. *τὰ μέν νυν θεῖα τῶν ἀπηγημάτων, οἷα ἤκουον, οὐκ εἰμὶ πρόθυμος ἐξηγέεσθαι, ἔξω ἢ τὰ οὐνόματα αὐτέων μοῦνον· νομίζων πάντας ἀνθρώπους ἴσον περὶ αὐτέων ἐπίστασθαι· τὰ δ᾽ ἂν ἐπιμνησθῶ αὐτέων, ὑπὸ τοῦ λόγου ἐξαναγκαζόμενος ἐπιμνησθήσομαι.* — —

*Φίλα* legatur, Thomas a Pinedo, Abrahami Ortelii opinionem secutus, apud Herodotum *Φίλα* emendavit, sed in majorem incidit errorem, addito: „sic enim vocatur (insula) a Diodoro Siculo lib. I.!" Quis autem non videt, si Stephani Phila insula esset Aegypti, magnum etiam flumen Tritonem, et paludem Tritonidem, Machlyes denique et Auses, in utraque paludis ripa habitantes (Herod. IV, 180), in Aegyptum transferendos esse? Ex Herodoti verbis (IV, 178, 179) satis apparet, insulam *Φλὰ* (non *Φίλα*) et paludem Tritonidem in littore Africae boreali ad Syrtes *) collocandas esse; *Φιλίαν* quoque vocat Stephanus insulam s. v. *Τάκομψος*. PARS II.

Ex iis, quae modo attulimus, cum satis eluceat, Pharaonum et Persarum tempore Aegypti fines australes in Elephantine et Syene positas fuisse, jam progrediendum est ad Alexandri aetatem. Ille quidem anno 332 a. Ch. n. facili negotio Aegyptum subegit, a Majace satrapa Memphi amice receptus, et longe diversus a Cambyse, sacrorum profanatore, omnia ita composuit, ut nihil ex patrio Aegyptiorum more mutaret. Interiora quoque Aegypti eodem tempore a Graecis occupata fuisse, ex eo elucet, quod Alexander Apollonidem Chium sociosque defectionis reos in Elephantinem, scilicet remotissimum terrarum locum, cum accurata custodia misit **). Posteaquam Ptolemaeus Lagi f. Ae-

---

*) cf. Hennicke de geogr. Africae Herodotea p. 20. qui Stephani errorem animadvertit, tamen de situ insulae *Φλὰ* nihil certe proponens.

**) Arrian. de exped. Alex. III, 158.

Pars II. gyptum susceperat, Alexandria urbs, nova regni sedes, ita aucta est et celebrata, ut interiorum partium fieret apud homines oblivio; unde factum est, ut nulla fere earum ad nos pervenerit notitia *). Eo majoris momenti sunt templorum inscriptiones, quarum magnus numerus per totam Aegyptum viatorum sollertia collatus omnium fere regum Ptolemaeorum vota et pietatem testatur. Quamquam de finibus regni nihil docent, tamen constat Philas Ptolemaeorum tempore Graecae ditionis fuisse, cum in insula ipsa multae inscriptiones reperiantur, quarum antiquissimam ad annos 187—180 a. Ch. n. supra rettulimus. Altera, regnante Evergete II, inter annos 125—117 a. Ch. n. obelisci plinthidi inscripta est **), inque ea sacerdotes commemorantur Isidis, quae Abato et Philis colitur (*οἱ ἱερεῖς τῆς ἐν τῷ Ἀβάτῳ καὶ ἐν Φίλαις Ἴσιδος, θεᾶς μεγίστης, κ. τ. λ.*).

*Philae et Abatos.* Duo igitur venerationis loca designantur, paullum inter se distantia, Philae et Abaton, de quorum situ in confiniis Aegypti et Aethiopiae hic paucis agamus, ad concilianda inter se scriptorum de his locis testimonia. Altera insula, orientem spectans, Philae (Nordenio Geziret-el-Heif, Burckhardto Anas-el-Wodjoud, Geziret-el-Birbeh) nuncupatur,

---

*) Agatharchides, qui secundo a. Ch. n. seculo, regnante Ptolemaeo Alexandro, de mari rubro scripsit, ubi de Aegypti regionibus disserit, fines australes ita designavit: *μετὰ δὲ τὸν προςηγορευμένον Τεντυρίτην νομόν, Ἀπόλλωνος ὀνομάζεται πόλις, ἧς ἐπάνω μὲν Κοπτός, ἔπειτα Ἐλεφαντίνη, εἶτα Αἰθιόπων χώρα, Κορτία πρώτη* (ed. Hudson I, p. 22).

**) Letronne recherches sur l'Egypte p. 297 lin. 3 et 4.

de qua nullum dubium oriri potest, cum tot inscriptiones veritatem doceant; — altera in occidentem, Abaton nobis videtur esse insula, quam hodie nomine Bageh designant incolae, quae, Philas magnitudine multum superans, rupibus altis et praeruptis ita est repleta, ut cognomen *τὸ ἄβατον* merito habeat. Templi vel sacelli vestigia in ripa orientali inveniuntur, columnae nonnullae et alia quae supra memoravimus rudera. Petra, ad sellae speciem formata, quam alii *) Abaton esse voluerunt, non a Philis in Eurum posita est, sed in litore Arabico, septentrionem versus, nullum templi vel alius monumenti vestigium ostendens. Ibique nunquam sacra habita esse, e terrae conspectu patet. Praeterea autem scriptorum testimoniis probatur, Abaton insulam esse, non petram in ripa Nili. Ita Diodori Siculi locus I, 22 facile explicatur, ubi Philarum prima est mentio: *ἔνιοι δέ φασιν οὐκ ἐν Μέμφει κεῖσθαι τὰ σώματα τούτων τῶν θεῶν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ὁρῶν τῆς Αἰθιοπίας καὶ τῆς Αἰγύπτου, κατὰ τὴν ἐν τῷ Νείλῳ νῆσον, κειμένην μὲν πρὸς ταῖς καλουμέναις Φίλαις* **), *ἔχουσαν δὲ προςηγορίαν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἱεροῦ πεδίου*. — Insula ex adverso Philarum sita nulla alia esse potest, quam Abaton, cui Diodorus ab eventu campi sacri nomen indi-

---

*) Letronne recherches p. 305.

**) In ponendo accentu: *Φίλαι*, *Φιλῶν*, *Φίλαις* etc. secuti sumus substantivorum primae declinationis regulam et Diodorum ex ed. Wesselingii; diversa ratio est apud Strabonem edit. Almeloveeni XVII, p. 1173, ubi *Φιλάς*, et Aristidem ed. Dindorf II, p. 437, ubi *Φίλων* legitur.

tum fuisse declarat. Eadem ratione locum Senecae interpretandum censemus, de ritu et sacris Aegyptiorum, quem Servius servavit ad Virg. Aeneid. VI, 154 *) „circa Syenem in extremo Aegypti esse locum, quas Philas i. e. amicas vocant, quia illic placata est ab Aegyptiis Isis irata, quod membra Osiridis mariti non inveniebant (inveniebat), quem frater Typhon occiderat. Quae inventa cum sepelire vellet, elegit vicinae paludis tutissimum locum, quem transitu constat esse difficilem; limosa enim est, et papyris referta et alta. Ultra hanc (paludem — vel: insulam Philas) est brevis insula, inaccessa hominibus; unde Abaton appellata est.“ — Quamvis non perspicua sit verborum collocatio, majore certo arte a Seneca facta, tantum tamen assequimur, Abaton insulam ex adverso Philarum sitam fuisse. Satis aperte idem scriptor loquitur **): „Primum incrementum Nili circa insulam, quam modo rettuli, Philas nascitur. Exiguo ab hac spatio petra dividitur, ἄβατον Graeci vocant, nec illam ulli, nisi antistites calcant: illa primum saxa auctum fluminis sentiunt.“ — ubi sine dubio ἄβατον a Philis in meridiem positum esse intelligitur; cum Nili aquae inde a meridie insulam alluant. Senecae autem auctoritatem in rebus geographicis minus valere, modo videbimus.

Confirmatur, quod modo docuimus, Wesselingii conjectura, palma dignissima in Plutarchi de Iside

*) p. 424. ed. Genevens. 1636.

**) Quaest. natur. ed. Lips. p. 724. d.

et Osiride (VII, p. 417 ed. Reiske) libro. Quod enim legitur: τὴν δὲ πρὸς πύλαις νισπιτάνην ἄλλως μὲν ἄβατον — ita scriptum fuisse credit: τὴν δὲ πρὸς Φίλαις νησίδα ἄλλως μὲν ἄβατον καὶ ἀπροςπέλαστον εἶναι; haec addens: Scio, posse huic conjecturae quaedam obmoveri, verum in desperatis licet esse audaciori, et abesse non potest Philarum mentio ab eo loco, quo de Osiridis sepulcro professa opera agitur. PARS II.

Quod Diodorus Siculus disertis verbis dicit, Osiridis sepulcrum in insula prope Philas reperiri, jusjurandumque apud Osiridem in Philis sanctissimum haberi, non alia ratione expediri potest, quam sacellum sepulcro adjacens in insula Bageh, tam arte cum Philis conjunctum fuisse, ut Thebani jusjurandum suum a celebriore loco sumerent. Qua ratione inducti Dei monumentum in ipsis Philis collocatum fuisse referunt Tzetzes (ad Lycophr. Cassandram v. 212 ed. Oxon. 1697) Lesbiacos secutus mythos *), Marinus in vita Procli (ed. Boissonade p. 16) **) aliique serioris aevi scriptores.

Si supra insulam Bageh Abaton (non Abatos) contra Salmasium (ad Solinum I, 437 d) nominavimus, Senecae l. l. et Lucani Phars. X, 312, vestigia pressimus, ubi adjectivum ἄβατος, ον in nomen

*) ἐν Φίλαις (sic legendum pro Φύλαις vel Φιγάλῃ) δὲ πάλαι Αἰγύπτου τὸ μέγιστον ἦν τῶν ἱερῶν, ὃς καὶ μέγας ὅρκος τοῖς Αἰγυπτίοις ἐτύγχανε, μὰ τὸν ἐν Φίλαις Ὄσιριν λέγουσι. Neque Wesselingii spernenda videtur opinio, qui Tzetzem Diodori verba excerpsisse suspicatur.

**) καὶ Ἶσιν τὴν κατὰ τὰς Φίλας ἔτι τιμωμένην.

PARS II. proprium mutatum est, cujus r‹˙ ‘ ‘imonium invenimus apud Diodorum Siculum (I, 22). Hic quidem insulam non nominat *), sed id tantum habet: *διὰ ταύτην δὲ τὴν αἰτίαν καὶ τὴν νῆσον ταύτην ἄβατον εἶναι πλὴν τοῖς ἱερεῦσι, καὶ πάντας τοὺς τὴν Θηβαΐδα κατοικοῦντας — μέγιστον ὅρκον κρίνειν, ὅταν τις τὸν Ὄσιριν τὸν ἐν Φίλαις κείμενον ὀμόσῃ.* Haud secus apud Plutarchum l. l. *ἄβατον καὶ ἀπροςπέλαστον* legitur. cf. Letronnium p. 305 **).

*Diodorus Siculus.* Constitutis jam loco suo Philis et Abato in definiendis Aegypti finibus meridianis, Diodorus Siculus adeundus est, qui sub finem Graeci in Aegypto imperii, regnante Ptolemaeo Neo Dionyso (vel Aulete), Pharaonum terram adiit, Olymp. 180 (anno 60. a. Ch. n.) ***). Primo bibliothecae libro priscam Aegypti historiam diffuse tractat, divinitates Aegyptiacas cum Graecis mixtas longa serie enumerat, de terrae et incolarum natura multa sane affert memoratu digna, sed in omnibus artem criticam et judicium desideramus, quibus pollet historiae pa-

*) Si quis ex Diodori loco insulam Bageh *ἱερὸν πεδίον* nominatam fuisse conjiciat, verba quidem non repugnant, sed nulla alia auctoritas accedit.

**) Champollion minor epist. XI. in insula Bageh inscriptiones hieroglyphicas legit, quibus constaret, hanc insulam, cui nomen sacrum Snem inditum esset, longe ante Philas pompis celebratam, templumque nunc ruinis collapsum ab Amenophi II. Anubidi et Deae Hathor dicatum fuisse.

***) I, p. 53, 85. In H. Stephani tractatu de Diodoro pag I, quem Wesselingius recudendum curavit, nonagesima Ol. per errorem bis litteris perscriptum pro octogesima.

ter. De Aegypti initio meridiano pauca affert I, 30 *); quibus tantum perspicitur, cataractae montes etiam Diodori aetate Aegyptum meridiem versus clausisse. Quae de Philis insula et altera adjacente dicat, supra memoravimus. Pars II.

*Strabo.* In Strabonis Amaseni geographia non solum Aegypti fines meridiani, quales Augusti tempore fuerunt, accurate indicati sunt, sed etiam prima nobis de Philis insula certa occurrit notitia, quae eo majoris est pretii, quod tanti viri, quem antiquitatis primum geographum (Eratosthenis libri perierunt) appellare haud dubitamus, prae se fert auctoritatem. Aelii Galli praefecti ad visitandam Aegyptum comes, non Alexandriam modo et Memphim, sed etiam interiora terrae adiit. De Aegypti finibus notitiam absolutam exhibet **), ubi de discrimine inter Aethiopiam et Aegyptum exponit ***): quibus locis manifestum est, Syenen urbem quidem Thebaidis principalem fuisse; Elephantinen

---

*) *ὠχύρωκεν (τὴν Αἴγυπτον) ἐκ τῶν πρὸς νότον μερῶν οὔτε καταράκται τοῦ Νείλου καὶ τῶν ὀρῶν τὰ συνορίζοντα τούτοις*, et paullo infra I, 32. *καταράκται μὲν οὖν εἰσι τοιοῦτοι πλείους, μέγιστος δ᾽ ὁ πρὸς τοῖς μεθορίοις τῆς Αἰθιοπίας τε καὶ τῆς Αἰγύπτου.*

**) XVII, pag. 787.

***) *τὴν δὲ Αἴγυπτον, καὶ μόνος καὶ πᾶσαν καὶ ἐπὶ εὐθείας (διέξεισιν ὁ Νεῖλος) ἀπὸ τοῦ μικροῦ καταράκτου ὑπὲρ Συήνης καὶ Ἐλεφαντίνης ἀρξάμενος, οἵπερ εἰσὶν ὅροι τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Αἰθιοπίας.* — prorsus pag. 817. C. *Ἡ δὲ Συήνη καὶ ἡ Ἐλεφαντίνη ἡ μέν ἐπὶ τῶν ὅρων τῆς Αἰθιοπίας καὶ τῆς Αἰγύπτου πόλις* — et paullo post pag. 819. *τὰ πρὸς νότον Τρωγλοδύται, Βλέμμυες καὶ Νοῦβαι καὶ Μεγάβαροι οἱ ὑπὲρ Συήνης Αἰθίοπες.* —

 autem et Philas insulas item militum praesidia habuisse, Noster declarat (820 B), ubi impressionem Aethiopum in Thebaidis tractum meridionalem factam memorat *). Quod ad Philarum descriptionem attinet, ipsam Strabonis narrationem adscribere juvat p. 818, interspersis notulis, quibus statum terrae hodiernum cum vetere comparemus. Visitatis principalibus Aegypti urbibus, usque ad Elephantinen insulam et cataractam fluvio vectus pervenit. *Τοῦ δὲ καταράκτου μικρὸν ἐπάνω τὰς Φίλας εἶναι συμβαίνει, κοινὴν κατοικίαν Αἰθιόπων τε καὶ Αἰγυπτίων, κατεσκευασμένην* **) *ὥςπερ καὶ τὴν Ἐλεφαντίνην* ***) *καὶ τὸ μέγεθος ἴσην* †), *ἱερὰ ἔχουσαν Αἰγύπτια* ††), *ὅπου καὶ ὄρνεον τιμᾶται, ὃ καλοῦσι*

*) *καὶ τῇ φρουρᾷ τῶν τριῶν σπειρῶν τῶν κατὰ Συήνην καὶ Ἐλεφαντίνην καὶ Φίλας.* —

**) cf. Letronnium in versione Strabonis. Tom. V. pag. 428.

***) Philae insula, partim ab Aethiopibus partim ab Aegyptiis habitata, satis demonstrat, illo tempore magnum fuisse commercium inter Aegyptum et Aethiopiae partes adjacentes. Nunc Arabum et Nubarum stirpes non tanta vicinia habitant: Elephantinen et Syenen Arabes tenent; media in cataracta, in ripa orientali, pagus cui Birbe nomen primos Nubas incolas habet, qui lingua Barabra utuntur, et meridiem versus usque ad secundam cataractam Wadi-Halfensem pertinent; Philae paene derelictae sunt ab incolis; mercatura languescit, nam praeter dactylos, oryzam aliaque ad victum necessaria paene nulla merx cataractam transit.

†) Quod si ad insulas referimus, multum a vero discrepat, cum Elephantine Philas ter quaterve circuitu superet; ad *κατοικίαν* referendum esse jam monuit Letronnius l. l.; oppida videlicet in utraque insula ejusdem fuerunt magnitudinis.

††) Non Aethiopica; quod sedulo notandum existimavit

μὲν ἱέρακα, οὐδὲν δὲ ὅμοιον ἐμοί γε ἐφαίνετο ἔχειν τοῖς παρ' ἡμῖν, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἱέραξιν· ἀλλὰ καὶ τῷ μεγέθει μεῖζον ἦν καὶ τῇ ποικιλίᾳ πολὺ ἐξηλλαγμένον· Αἰθιοπικὸν δ' ἔφασαν εἶναι, κἀκεῖθεν κομίζεσθαι ὅταν ἐκλίπῃ, καὶ πρότερον· καὶ δὴ καὶ τότε ἐδείχθη ἡμῖν πρὸς ἐκλείψει ὂν διὰ νόσον *). — Ἤλθομεν δ' εἰς Φίλας ἐκ Συήνης ἀπήνῃ **) δι' ὁμαλοῦ σφόδρα πεδίου ***) σταδίους ὁμοῦ τι ἑκατόν †)· παρ' ὅλην δὲ τὴν ὁδὸν ἦν ἰδεῖν ἑκατέρωθεν πολλαχοῦ, ὥςπερ ἑρμαῖα πέτρον ἠλίβατον, στρογγύλον, λεῖον ἱκανῶς, ἐγγὺς σφαιροειδῆ, τοῦ μέλανος καὶ σκληροῦ λίθου, ἐξ οὗ αἱ θυεῖαι γίνονται, ἐπὶ πέτρῳ κείμενον μείζονι, καὶ ἐπ' ἐκείνῳ πάλιν ἄλλο· ἔστι δ' ὅτι αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς ἔκειντο οἱ πέτροι·

Pars II.

---

Strabo, cum jam Aethiopiam sese ingressum esse videret, cf. templi Heliopolitani descriptionem. Strabo XVII, pag. 805: νυνὶ μὲν οὖν ἔστι πανέρημος ἡ πόλις, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τῷ Αἰγυπτίῳ τρόπῳ κατεσκευασμένον ἀρχαῖον. — Aliter Letronnius ad h. l.: „Cette remarque de Strabon, que les temples d'Elephantiné et de Syéné (Philae?) étoient de construction Aegyptienne, donneroit à penser que les temples de construction Grecque furent plus communs, que les ruines actuelles ne le feroient supposer,“ — tale autem discrimen inter templa Aegyptiaca et Graeca a Strabone nunquam factum est; omnia templa ab Aegyptiis in Aegypto confecta recte Aegyptiaca dici possunt.

*) Aethiopica sacri accipitris origo ejusque ex Aethiopia asportatio testimonia sunt de sacrorum Philensium ortu Aethiopico. Sacella monolitha, in templo asservata, avis sacrae caveas fuisse, supra monuimus.

**) in reliquo nempe per Aegyptum itinere navigio usi.

***) Pococke Descr. of the East. Vol. I, p. 119. Nota 1. πέδον legi jussit.

†) de quo vide infra.

 ἦν δ' ὁ μὲν μέγιστος τὴν διάμετρον ποδῶν οὐκ ἐλαττόνων ἢ δώδεκα, ἅπαντες δὲ μείζους ἢ ἡμίσεις τούτων *). Διέβημεν δὲ εἰς τὴν νῆσον ἐπὶ πάκτωνος· ὁ δὲ πάκτων διὰ σκυταλίδων πεπηγός ἐστι σκαφίον, ὥςτ' ἐοικέναι διαπλοκινῷ· ἑστῶτες δ' ἐν ὕδατι, ἢ καὶ σανιδίοις τισὶ προςκαθήμενοι, ῥαδίως ἐπεραιώθημεν, οὐ δεδιότες· ἀκίνδυνα γάρ ἐστιν ἂν μή τις ὑπέργομον ποιήσῃ τὸ πορθμεῖον **).

Supra Philas in meridiem progressum fuisse Strabonem, haud credimus. Quamquam enim de reditu per Aegyptum nihil dicit, tamen, Philarum descriptione absoluta, palmarum diversam indolem et Aelii Galli expeditionem Aethiopicam tractat.

Aliam Philarum notitiam reperimus apud eundem XVII, p. 1155 in Delta descriptione, ubi supra Naucratim urbem Osiridis asylum esse dicit, ἐν ᾧ κεῖσθαι τὸν Ὄσιρίν φασιν· ἀμφισβητοῦσι δὲ τούτου πολλοὶ, καὶ μάλιστα οἱ τὰς Φίλας (sic legendum pro Φυλὰς) οἰκοῦντες, τὰς ὑπὲρ Συήνης καὶ τῆς Ἐλεφαντίνης. — Quam notitiam Strabonis animo effluxisse putamus, cum in Philarum descriptione neque Osiridis neque sepulcri ullam fecerit mentionem. Jam perspeximus, quam difficile sit in mythologia Aegyptiaca certi aliquid de singulis Diis, eo-

*) accuratissima descriptio inde a Syene ad Philas viae. Adspectus montium illorum, immensis lapidibus congestorum, Straboni eo notabilior erat, cum in Aegypto hujus generis montes nunquam conspiciantur.

**) Mirum sane, quam accurate hodierna navigiorum Nubiensium fragilitas et brevissimi trajectus incommodum periculumve cum virida Strabonis imagine congruant.

eorumque cultu proferre. Osiridis sepulcrum a scriptoribus quum variis locis collocatum sit, firmissimum id argumentum est, Aegyptios ipsos harum rerum inscios fuisse. Philis accipitrem sacrum divino honore cultum fuisse, Strabo affirmat, auctor gravissimus, arguuntque caveae, ad nostram usque aetatem servatae; contra in nulla inscriptione Philensi, neque accipitris neque Osiridis mentio fit; ex sculpturis denique templi, quarum significatio nimis ambigua est, deprompta argumenta utramque sententiam vel neutram confirmant.



*Philae a Syene quantum distent?*

Centum stadiorum intervallum, quo Syenen a Philis distare affirmat Strabo XVII, p. 818., neque cum veritate neque cum itinerariis convenit, quare uberiore expositione Strabonis locum pertractemus. Cum Francogallorum novissimis mensuris constet, Syenen antiquam a Philis duabus legis Gallicis vel 30000 pedibus Paris. distare — anfractu viarum simul computato — hoc fundamento nitamur astrorum observationibus firmato, quocum ceterae mensurae scriptorumque narrationes conciliandae sunt *). Itinerarium Antonini (ed. Wesseling. p. 164) habet:

PHILAS — SYENE. M. P. III.

Heliodorus ex Strabonis loco, tum temporis jam corrupto, numeros desumpsisse videtur, cum Aethiop.

*) Linea recta Syene a Philis distat secundum Lancretum (Déscript. de Philae p. 30) 8300 metris (mêtres définitifs) vel 24900 pedibus Paris., secundum Nouetum (Mémoires sur l'Egypte II, 240) 4146 tesis vel 24876 ped. Paris.

PARS II. VIII, cap. 1. haec dicat: *ἡ γὰρ πόλις αἱ Φίλαι — Συήνης δὲ καὶ Ἐλεφαντίνης ἑκατόν που τοῖς μεταξὺ σταδίοις διείργεται.* (cf. Letronnium ad Strab. p. 817. Tom. V. p. 426.) Hic quidem error non minor est quam Strabonis. Ut autem majore cum commoditate mensurarum fiat comparatio, omnes ad pedes Parisinos, notissimam inter nostrates mensuram, referamus. Sumpto Strabonis stadio 569 pedum Paris. *):

100 Strabonis stadia aequant = 56900 pedes Paris.

Sumpto milliario Romano 4554 pedum Paris.,

M. P. III. Antonini aequant = 13662 ped. Paris.

Strabonis numerus quasi duplo major est vero, itinerarium autem non plus dimidio reddit. Utrumque locum commentatores emendare conati sunt, haud secundo eventu, cum non, quod verum intervallum esset, curarent; sed, unius vel alterius scriptoris testimonio freti, ad arbitrium conjecturas proponere sat haberent. Cellarius **) et d'Anvillius ***), Strabonis auctoritatem secuti, in itinerario pro M. P. III. reponere jusserunt XII, quae 54500 ped. Paris. aequant. Contra autem J. Masson in vita Aristidis (VI, 3.), itinerarii III. M. P. respiciens, Strabonis *ἑκατὸν σταδίους* in *εἴκοσι* commutavit, quasi confusis inter sese *K* et *P* per librario-

---

*) vid. egregium librum J. F. Wurm de ponderum etc. rationibus p. 88. III.

**) Geogr. antiqua II, p. 828 sqq.

***) Mémoires sur l'Egypte ancienne et moderne. p. 216.

rum errorem. Viginti stadia aequant 11400 ped. Paris. Quae cum omnia longius a veritate absint, neque vulgatis lectionibus absque errore praesidium afferri possit, unum locum ita mutandum censuimus, ut Letronnium *) secuti in Antonini libro pro III. M. P. legeremus VI, conjunctis duabus prioribus lineolis, quae mutatio cum saepissime in itinerariis occurrit, tum huic numerorum varietati ansam dedit. Habemus igitur M. P. VI., aequantia = 27300 ped. Paris., mensuris Gallicis proxima. Strabonis locus a commentatoribus omnibus praetermissus non tam facile absolvitur. Auctorem enim, cum ipse viam confecerit, vix credibile est per errorem distantiam duplo majorem habuisse; quare hic libris inhaerere existimamus vitium, quale in numerorum designatione saepius occurrere, nemo harum rerum studiosus ignorat. Conjicimus Strabonem *Ν'σταδίους* scripsisse, quod a veritate minime abest **): quinquaginta stadia aequant = 28500 ped. Paris. PARS II.

Verum ergo intervallum cum sit = 30000 ped. Paris.
Itinerarii M. P. VI. aequant = 27300 — —
Strabonis 50 Stadia = 28500 — —

neque in talibus mensuris accuratius numeros congruere desideramus.

---

*) in Strabonis versione V, p. 429.

**) Quam frequens sit ϱ et ν literarum confusio, minimo apice in libris Mss. distinctarum, saepius monuerunt critici. Praeter Jacobsium et Porsonum, jam a Schaefero ad Gregor. Corinth. p. 358 laudatos, vid. ejusdem annotatt. ad Gregor. p. 4. et Bastium commentat. palaeograph. Gregorio annexa. p. 726.

Pars II. In novissima operis Gallici editione mirati sumus, Jomardum, mensurarum peritissimum, non offendisse in hoc Strabonis loco: „Du milieu de Syene, inquit p. 30, à celui de Philae l'intervalle est de 10000 mètres, ce qui est d'accord avec Strabon.“ —

*Petronii expeditio Aethiopica.* Ipso Strabonis tempore primum Romani fines Aegypti meridianos transgressi sunt, Aethiopiamque occuparunt borealem, qua de expeditione pauca afferre non alienum est. Tres cohortes Romanae, quae jam ab illo tempore, quo Aegyptus provincia Romana est facta, Syenae, Elephantinae et Philis erant, ab Aethiopibus sub regina Candace ex improviso oppressae et captae fuerant, paucis annis antequam Strabo Aegyptum visitaret. Aelius Gallus, Aegypti praefectus, id temporis in Arabia bellum gessit; quo factum est, ut C. Petronius, cui summa rerum relicta fuerat, non amplius decem millibus peditum convocatis, numerosum Aethiopum exercitum aggressus, hostes fugaret, Romanos captivos recuperaret et ex Aethiopibus captis mille ad Caesarem mitteret nuper ex Cantabris reversum (731 a. u. c. 23 a. Ch. n.). Quamquam Petronius Primin castellum (hodie Ibrim) praesidio munierat, non tamen omnis illa Aethiopiae pars in Romanorum ditione remansit, teste itinerario Antonini (ed. Wesseling. p. 164), in quo fines positi sunt ad Hierosycaminon (hodie Wadi-Maharraka). Usque ad hunc locum non solum castrorum rudera in utraque Nili ripa multa occurrunt, sed etiam inscriptiones templorum invenimus, quarum nonnullas, ubi

Philarum mentio est, cum Letronnii emendationibus hic repetendas censemus. In templo Dakkensi legimus: Pars II.

*Τὸ προςκύνημα Ἀντωνίου γραμματέως Φιλῶν Καπίτωνος· καὶ προςεκύνησα θεὸν μέγιστον Ἑρμῆ καὶ ἐποίησε τὸ προςκύνημα τῶν ἄλλων πάντων καὶ φίλων* L *ΙΘ Τιβερίου Καίσαρος Παωνὶ* Ε. — Aliam ejusdem templi inscriptionem, primum in Lightii itinere Nubiensi p. 273 delineatam, majore cura a Burckhardto exaratam (itin. p. 106) Letronnius explicavit: Journal des Savans 1821. p. 399:

*Ἀπολλώνιος Ἀπολλωνίου στρατηγὸς Ὀμβείτου καὶ τοῦ περὶ Ἐλεφαντίνην καὶ Φίλας ἦλθον καὶ προςεκύνησα θεὸν Ἑρμῆν μέγιστον.*

Romanorum temporibus (certo jam antiquiore aetate) confinio Aethiopiae et Aegypti Deos nonnullos fuisse praepositos, alia testatur inscriptio notabilis ejusdem templi in oppido Dakkeh (Letronnio Pselci) *):

*Θεῷ μεγίστῳ Ἑρμῇ Πυτνύβιδι, Αἰγύπτου συνορίην καὶ Αἰθιόπων μετέχοντι, τὴν περὶ τὸν ναὸν Χρύσωσιν ἐποίησεν ἱεροῖς ἀνὴρ μεμελημένος Ἀκύλας Σατουρνεῖνος Οὐετρανὸς εὐξάμενος ῥῶσιν καὶ τέκνοις καὶ γαμετῇ.*

Quae inscriptiones omnes, etsi non magni pretii sint ad historiam vel geographiam investigandam, tamen docent, Romanorum aetate remotissimas illas regiones ita pacatas fuisse, ut magistratus et scribae Philenses vel oblectationis vel religionis caussa iti-

*) l. l. p. 370.

 nera facerent atque adeo templorum ornamentis instaurandis curam impenderent. — Jam redeamus ad expeditionem Aethiopicam.

*Dodecaschoeni urbes et stationes.* Urbes et oppida a Petronio capta, quorum apud Strabonem et Cassium Dionem mentio est, in illa regione quaerenda esse, cui Dodecaschoeni nomen *), et inde usque ad secundam cataractam Wadi-Halfensem luculenter exposuit Ritterus in Geogr. I, p. 592, simul monens, Plinii narrationem (VI, 35. Hard.) minus accuratam esse qua in distantiis, qua in nominibus, vel quod scriptor nesciret, vel quod libri corrupti essent. Neque multum proficit in singularum urbium situ definiendo Strabonis auctoritas, cum, in qua Nili ripa Petronius expeditionem fecerit, exponere supersederit. Quantum in nonnullis nomina hodie usitata (ut Corte, Ibrim, Tafah) juvant, tantum officiunt alii scriptores, in auxilium arcessiti. *Ptolemaeus.* Quorum Ptolemaeus (Geogr. libr. IV, 6) Hiero-Sycaminon et Metacompson in orientali, Pselcin autem in occidentali Nili ora sitas esse vult; contra itinerarium Antonini (p. 164 ed. Wesseling.) oppida a Contra-Syene usque ad Hiero-Sycaminon in ripa occidentali, a Contra-Pselci ad Philas in orientali ponit. *Tabula Peutingeriana.* Tabula Peutingeriana sectione VIII (ex edit. Scheyb.) haec habet, longe a vero aliena:

Syene
Spelci XVII.

---

*) adumbratur Dodecaschoenus in Herod. II, 29. primum nominatur apud Ptolem. Geogr. lib. IV, 6.

Herasicamina VI., Pars II.

ubi castellum depictum fines imperii Romani meridionales indicat. Falso in ripa orientali nomina scripta sunt, sed in tabula his rebus parum curae adhibitum fuisse, aliarum urbium situs docet. Tentyra enim et Latopolis et aliae in ora Arabica adscriptae sunt, quarum situm oppositum non solum scriptorum testimonia sed etiam monumenta probant.

Dodecaschoeni mensuras primum rectius constituit Hamiltonius in Aegyptiacis p. 38. 413. 414., postea Leakius de harum regionum geographia optime meritus est, quod in Nili tabula stationibus Romanis loca assignavit. Usque ad Hierosycaminon egregie nomina apposuisse nobis videtur, ultra autem Plinii errores secutus urbium intervalla nimis extendit et Napatam, Candacis regiam, inter decimum nonum et vigesimum latitudinis borealis gradum posuit, quousque Petronium processisse ex auctorum narrationibus et terrarum vastitate perspicitur. Eduardus Caillaud *) Nili cursum supra Philas diligenter descripsit et Leakium secutus nomina antiqua usque ad Hierosycaminon adjecit, Napatam autem, majori etiam spatio disjunctam, inter decimum octavum et decimum nonum latitudinis borealis gradum collocavit. —

*Itinerarium Antonini.*

Sequens locorum distributio secundum Antonini itinerarium **) bene cum monumentorum situ congruit:

*) Voyage au fleuve blanc. II. pl. XLIV sqq.
**) ed. Wesseling. pag. 164.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| in ripa occidentali: | | | in ripa orientali: | | |
| | Contra-Syene | | | (Assuan) Syene | |
| (Debode) | Parembole. | M. P. XVI. | (Anas-el-Wodjud) | Philas *). . . | M. P. VI. |
| | Tzitzi. . . . . | II. | | | |
| (Tafeh) | Taphis. . . . | XIII. | | Contra-Taphis. . | XXIV. |
| (Kalabscheh) | Talmis. . . . | VIII. | | Contra-Talmis. . | X. |
| (Girscheh-Hussein) | Tutzis. . . . | XX. | | | |
| (Dakkeh) | Pselcis. . . . | XII. | | Contra-Pcelcis. . | XXIV. |
| (Korti) | Corte. . . . | IV. | | | |
| (Wadi Maharraka | Uffedineh) | | | **). . . . . . . | XI. |
| | Hierosycaminon. | IV. | | | |
| | | LXXIX. | | | LXXV. |

*) In Hieroclis Synecdemo p. 732 ed. Wesseling. Φίλαι pro Φίκαι corrige.

**) hoc loco stationem ex adverso Hierosycamini (fortasse Metacompson Ptolemaei) omissam esse, jam vidit Wesseling. p. 164. —

Differentia IV millium pass. partim in latentibus librorum vitiis, partim in ipsis mensuris, maxime autem, ut nobis videtur, in fluminis flexibus est quaerenda. Napatam ipsam per parvum modo temporis spatium a Romanis occupatam fuisse monuit Ritterus l. l. Ceterum Napata, aeque ac Primis in ripa orientali constituenda est, alioquin Strabo fluminis trajectum commemorasset; utrum autem Napata castellum fuerit, quod nunc est ad Kalat-Addeh, cui tumuli multi circumjacent, an aliud cacumen illius montium tractus, qui meridiem versus usque ad Wadi-Serram porrigitur, in incerto est relinquendum. Pars II.

Minus perspicua est descriptio Olympiodori *), Thebis Aegyptiacis oriundi, quamvis ipse loca adierit — *καὶ ἔλαβόν με, φησι, μέχρις αὐτῆς τῆς Τάλμεως, ὥςτε κἀκείνους τοὺς χώρους ἱστορῆσαι, διέχοντος ἀπὸ τῶν Φιλῶν διάστημα ἡμερῶν πέντε, μέχρι πόλεως τῆς λεγομένης Πρίμα, ἥτις τὸ παλαιὸν πρώτη πόλις τῆς Θηβαΐδος ἀπὸ τοῦ βαρβαρικοῦ διετύγχανε· διὸ παρὰ τῶν Ῥωμαίων ῥωμαίᾳ φωνῇ πρίμα, ἤτοι πρώτη ὠνομάσθη* (faceta etymologia) *καὶ νῦν οὕτω καλεῖται, καί τοι ἐκ πολλοῦ οἰκειωθεῖσα τοῖς βαρβάροις, μεθ' ἑτέρων τεσσάρων πόλεων Φοινικῶνος, Χίριδος, Θάπιδος* (Thaphis), *Τάλμιδος* (Talmis) — locus corruptus est vel plura intermedia exciderunt. Insunt Philarum, Talmidis et Primae nomina, nec tamen elucet, quinque dierum intervallum inter Philas et Talmin Primamve *Olympiodorus.*

*) Est apud Photium in Bibl. p. 178. Hoeschel p. 194.

Pars II. esse. Ceterum Schottus transtulit: Abripuerunt itaque me, ait, ut illas quoque regiones perlustrarem, in ipsam usque Talmin a meis contribulibus (?) quinque dierum intervallo distantem ad urbem, quae dicitur Prima.

*Seneca.* Accedentibus nobis ad Senecae de finibus Aegypti meridianis et de Philis opinionem *), praemonendum est, eum narrationem arte rhetorica exornare voluisse, scriptorum auctoritate ex quibus hausit parum curata. Quod omnino nostro loco accidisse vidimus. Nihil enim luculentius est et elegantioribus verbis expressum, quam illa Nili descriptio inde a disquisitione de fontibus usque ad exitum in mare mediterraneum; de veritate autem narrationis nonnunquam dubitare licet. Postquam de Nilo fluvio verissime haec dixit: „Unde crescere incipiat, si comprehendi posset, caussae quoque incrementi invenirentur,“ sequuntur haec: „nunc vero magnas solitudines pervagatus, et in paludes diffusus, gentibus sparsus, circa Philas primum ex vago et errante colligitur. Philae insula est aspera et undique praerupta, duobus in unum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur et ejus nomen ferunt. Urbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis, quam violentus, egressus Aethiopiam arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris est, praelabitur. Excipiunt eum cataractae. — Primum incrementum Nili circa insulam, quam modo retttuli, Philas noscitur. Exiguo ab hoc spatio pe-

*) Natural. Quaest. IV, 2.

„tra dividitur; ἄβατον Graeci vocant, neque illam ulli „nisi antistites calcant; illa primum saxa auctum „fluminis sentiunt. Post magnum deinde spatium „duo eminent scopuli, Nili venas vocant incolae, ex „quibus magna vis funditur, non tamen quanta ope„rire posset Aegyptum. In haec ora stipem sacer„dotes et aurea dona praefecti, cum solenne venit „sacrum, jaciunt."

Ex qua descriptione facile intelligitur, Senecam ipsum, quamquam suspicante J. Lipsio (in vita Senecae c. V.) Aegyptum visitavit, neque interiora terrae, neque fines Aethiopiae Philasque insulam adiisse. Minime enim Nilus circa Philas ex vago et errante colligitur, sed, qui antea uno et indiviso incedebat alveo, hoc loco in plura scinditur flumina, antequam in cataractam sese immittit, atque eatenus Salmasius (Plin. exerc. p. 419. C.) recte affirmavit, Senecam Meroën et Philas insulas confudisse; quippe ad Meroën duo conveniunt flumina. Quis autem omnino Senecae narrationi confidat, qui in rebus tanti momenti in errorem manifestum incidat? quid sibi velint Nili venae, magno spatio ab insula Abato divisae, aegre perspici potest, nisi eae ad Herodoti montes Krophi et Mophi referuntur; sacri adumbratio ex Diodoro Siculo (I, 22. ed. Wessel.) desumpta videtur. Notionem quoque de Philis insula et Abato alicunde deprompatam et male intellectam, magis ad Nili descriptionem sedulo exornandam, quam ad accurate designandas illas regiones Quaestionibus naturalibus immixtam putamus; descriptionis enim series ex veris falsisque

Pars II. alternatur; undique praerupta est insula, non autem aspera, cum sola ex tot cataractae insulis ad templa aedificanda solum planum praebuerit; — Nilus eam neque magnus neque violentus praelabitur etc. Quibus de caussis supra in conciliandis scriptorum de Philis et Abato opinionibus minoris momenti credidimus auctoritatem Senecae *Lucanus.* nepotisque ejus Lucani, qui in Phars. lib. X. v. 311—326 longam et praestantem Nili descriptionem, patrui narrationem arcte secutus, versibus expressit; cf. Salmas. l. l. p. 439 B, ubi singulos Lucani versus cum singulis Senecae verbis conferuntur.

*Plinius major.* Magnum opus Plinianum nonnulla de finibus Aegypti meridionalibus, minus tamen accurata continet, quibus satis elucet, scriptorem neque omnia, quae descripserit, visitasse, neque eadem cura tractasse; H. N. V, 10. I. p. 256 ed. Hard. „Ditionis „Aegypti esse incipit (Nilus) a fine Aethiopiae „Syene: ita vocatur peninsula mille passuum am-„bitu, in qua castra sunt latere Arabiae, et ex ad-„verso insula IV (M. P. ambitu) Philae. — Elephan-„tis insula intra novissimum cataracten IV M. P. et „supra Syenen XVI M. P. habitatur, navigationis „Aegyptiae fines. — Ibi Aethiopicae conveniunt na-„ves; namque eas plicatiles humeris transferunt, „quotiens ad cataractas ventum est *).“ Quamvis

*) cf. Joseph. de B. J. IV, 10. ὁ δὲ Νεῖλος ἀναπλεῖται μέχρι τῆς Ἐλεφάντων καλουμένης πόλεως, ὑπὲρ ἣν εἴργουσιν προσωτέρω χωρεῖν οὓς προειρήκαμεν καταράκτας.

parum cum vero congruat, Syénen urbem in peninsula sitam esse, hoc tamen mittamus, quum gravius erraverit dicens: Philas ex adverso Syenes esse. Salmasii conjecturâ (Exerc. Plin. p. 437. E.), Plinium mnemonico errore lapsum Elephantinen pro Philis accepisse, non removetur difficultas: primum enim intra in supra mutandum esset, tum autem, quae de Elephantide insula dicit, satis demonstrant, eam a cataracta septentrionem versus sitam esse *), cum non solum „navigationis Aegyptiae finis" sit, sed etiam Aethiopicae naves plicatiles **) humeris tanslatae ibi conveniant; utramque igitur insulam, Elephantidem aeque ac Philas, infra cataractam sitam esse, Syenen ergo a novissimo cataracte XXIV M. P. distare perverse existimavit Plinius.

Quibus perspectis, de numerorum corruptela non amplius quaerendum est. Elephantine in ipso cataractae fine, non IV M. P. infra eam sita; etsi, mutata interpunctione, locum ita restituimus: „Elephantis insula intra novissimum cataracten, IV M. P. (ambitu) —" ut paullo supra, Harduinum secuti, scripsimus; „et ex adverso insula IV. (M. P. ambitu) Philae," — tamen sequens numerus: „et supra Syenen XVI M. P. habitatur," si ad Elephan-

*) ad augendam confusionem „aliam Elephantinen Aethiopiae" Plinius memorat XXIV, 101.

**) cf. Heeren Op. hist. XIII, 473 et ibi laudatam narrationem Mallieti, qui initio saeculi XVIII. Aegyptum visitavit, et Harduinum I, p. 257. nota 12; cujus navigia papyracea paucis probata fore censemus.

Pars II. tinen nostri temporis et Strabonis refertur, omni sensu caret; sin ad Philas, in VI. M. P. mutandum esset. Pater Harduinus, I, p. 257. not. 8., frustra hunc Plinii locum contra Salmasium defendens, Strabonis luculentam illius regionis descriptionem vitiatam esse putat *), quam cum veritate accuratissime congruere supra notavimus **).

Quotienscunque Plinius meridianos Aegypti fines memoravit, Syenen ultimam designavit urbem, e. g. VI. 35; finem imperii vocat XII, 8., quamquam ipse Petronii expeditionem Aethiopicam narrat VI, 35.

*Tacitus.* — Accuratiorem addamus Taciti sententiam, Annalium lib. II, 61. enunciatam, ubi de Germanici itinere Aegyptiaco, cognoscendae antiquitatis, exponit: „Exin ventum Elephantinen ac Syenen, „claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum „ad mare patescit.“ Res a Trajano gestas designat (inquit J. Lipsius) limitibus imperii rubrum ad mare

*Suidas.* promotis. Huc pertinent etiam, quae habet Suidas s. v. *Ῥωμαίων ἀρχή*: — „*ὁρισαμένη πέρατα ἑαυτῆς πρὸς μὲν ἕω Ἰνδοὺς καὶ ἐρυθρὰν θάλασσαν καὶ*

---

*) cf. d'Anville Mémoires sur l'Egypte ancienne et moderne p. 215.

**) Jam si quis desperatum hunc Plinii locum in veritatem restituere vellet, audaciore conjectura legendum esset: „Ditionis Aegypti esse incipit a Syene, ita vocatur penin„sula mille passuum ambitu, in qua castra sunt latere Ara„biae, et ex adverso insula, IV M. P. ambitu, Elephan„tine. — Philae insula supra novissimum cataracten M. P. „et supra Syenen VI M. P. habitatur, navigationis Aethio„picae finis. Ibi Aegyptiae conveniunt naves, namque eas „plicatiles etc.“ —

*Νεῖλον καὶ καταῤῥάκτας καὶ λίμνην Μαιῶτιν.*" Si lacum Maeotin et Nili cataractas eadem coeli plaga constituit, Suidas ad mentem veterum geographorum, terram multo magis in longitudinem quam in latitudinem porrectam esse, existimat. Duas tantum plagas commemorat, orientem et occidentem, alteram terris quas modo diximus conclusam, alteram Oceano ipso terminatam. Neque alienum videtur, Fl. Josephi testimonium de Aegypti finibus afferre, Bello Jud. IV, 10. „*Αἴγυπτος — κατὰ δὲ μεσημβρίαν τὴν διορίζουσαν ἀπὸ Αἰθιόπων τὴν Συήνην καὶ τοὺς ἀπλώτους τοῦ ποταμοῦ καταράκτας — ἔχει.*" PARS II. *Josephus.* *Aristides.*

Omnes, quos supremo loco laudavimus, scriptores aliorum narrationem de Aegypti confiniis repetunt, primus autem, qui post Strabonem *αὐτόπτης* regiones illas descripsit, Aristides est rhetor (129 —189 p. Ch. n.) in oratione XLVIII. Aegyptiaca *). Qui cum de se ipso haud pauca dicat, orationis initio jactat, se Aegyptum quater peragrasse omnesque mensuras nondum libris consignatas accurate a sacerdotibus collegisse, quas postea servorum incuria amiserit. Tum tota oratione nihil fere aliud tractat, nisi fluminis naturam et indolem, Herodoti, Ephori, aliorum opiniones prolixe refellens; — de incolarum moribus, de historia, de monumentis, de rebus geographicis, praeter urbium nonnullarum mentionem pauca affert memoratu digna. De Aegypti finibus meridianis fructuosam

*) in Dindorfii edit. II, p. 437 sqq.

Pars II. notitiam frustra quaesivimus. In cataractae descriptione, quae legatur dignissima, Philarum in transcursu mentio facta est: *ὡς ἀνῄειν ἐπὶ τοὺς βωμοὺς*, inquit, *οὗ τοῖς Αἰθίοψίν ἐστιν ἡ φρουρά, πολὺ τῆς ὄχθης ἀποσπάσας τοῦ ποταμοῦ, ὑπερβὰς ἐπὶ τὸν ὅρμον, ὅς ἐστι πρῶτος ὑπὲρ καταδούπων, εἰς Φίλας διέβαλον· ἔστι δ' αὕτη νῆσος μεθόριον Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας τοσαύτη τὸ μέγεθος ὅσηπερ ἡ ἐν αὐτῇ πόλις· περιῤῥεῖ δ' αὐτὴν ὁ Νεῖλος ἀκριβῶς μέσην ἑαυτοῦ ποιῶν· ἐπεὶ ἐπανῄειν, ἐχώρουν μὲν πάλιν τὴν αὐτὴν ἀπὸ τῶν Φιλῶν, καὶ προςεδόκουν νῦν γέ που τοὺς καταῤῥάκτας ὄψεσθαι, κ. τ. λ.*, tamen omnia cum veritate optime conveniunt. Quae paullo post, contra Herodotum, de Elephantines et Syenes situ affert *), urbes non montium tractu, sed solo fluminis alveo divisas esse, cum Strabonis narratione consentiunt, quo facilius Senecae et Plinii notitias supra allatas repudiavimus.

*Ammianus Marcellinus.* Plane confudit coeli plagas Ammianus Marcellinus, XXII, 15.: „Aegyptiam gentem — a meridiali latere Syrtes majores et Phycus promontorium et Borion et Garamantes nationesque variae claudunt, qua Orientem e regione prospicit, Elephantinen et Meroën urbes Aethiopum et Catadupos rubrumque pelagus et Scenitas praetenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus.“ — Quis est, qui in tanta er-

*) *ὅπερ οὖν λέγω, οὐκ ἀκούσας, ἀλλ' ἰδὼν ἀκριβῶς οἶδα, ὅτι ἥ τ' Ἐλεφαντίνη ὑπ' αὐτοῖς ἐστι τοῖς καταῤῥάκτοις, μεταξύ τε Συήνης καὶ Ἐλεφαντίνης οὐδέν ἐστιν ἀλλ' ἢ τὸ ῥεῖθρον τοῦ ποταμοῦ καὶ προςοικεῖ τὴν ὄχθην ἑκατέρα τῶν πόλεων τούτων.*

Pars II.

errorum farragine scriptorem recte sensisse, libros autem corruptos esse existimet? —

Heliodorus.

Heliodori denique Emeseni locus jam adumbratus, qui non solum propter recentiorem scriptoris aetatem, sed etiam propter fabulosam libri naturam minoris est auctoritatis, nunc apponendus est; in nonnullis enim cum graviorum scriptorum testimonio convenit, in aliis ab iis differt *). Philas insulam supra minorem cataractam sitam esse recte monet Heliodorus, quem in libro suo quamvis fictitio res geographicas secundum veritatem tractasse perspeximus; spatium autem inter Philas et Syenen centum stadiorum minus recte constituit: vidimus non amplius 50 stadiis interesse et Heliodorum in eundem, quem in Strabone notavimus, errorem incidisse. Quae de continuis inter Aegyptios et Aethiopes bellis Philarum et Syenes caussa gestis narrat, quamquam ab historiarum scriptoribus non referuntur, tamen probabilia sunt. Jure igitur *τὴν πόλιν τὰς Φίλας* vocat *ἐπίμαχον*, quod Coraem interpretatum esse

*) Lib. VIII, 1. Aethiop. — *ἡ γὰρ πόλις αἱ Φίλαι κεῖται μὲν ἐπὶ τῷ Νείλῳ, τῶν ἐλαττόνων καταῤῥακτῶν ἀνωτέρω μικρόν. Συήνης δὲ καὶ Ἐλεφαντίνης ἑκατόν που τοῖς ποτε μεταξὺ σταδίοις διείργεται· ταύτην ποτὲ φυγάδες Αἰγύπτιοι καταλαβόντες καὶ ἐνοικήσαντες, ἀμφίβολον Αἰθίοψίν τε καὶ Αἰγυπτίοις κατέστησαν· τῶν μὲν, τοῖς καταῤῥάκταις τὴν Αἰθιοπίαν ὁριζομένων· Αἰγυπτίων δὲ καὶ τὰς Φίλας, κατὰ τὴν προενοίκησιν τῶν παρ᾽ ἑαυτοῖς φυγάδων, ὡς ἂν δορυαλώτους ἑαυτοὺς προςνέμειν ἀξιούντων. συνεχῶς δὴ μεταπιπτούσης τῆς πόλεως, καὶ τῶν ἀεὶ προλαβόντων καὶ ἐπικρατούντων γενομένης, τότε δὲ ὑπὸ φρουρᾶς Αἰγυπτίων δὲ καὶ Περσῶν κατεχομένης — κ. τ. λ.*

 legimus: „de qua controversia est orta“ (cf. ad. h. l.); ipsius libri copia nobis non facta est.

*Notitia imperii orientalis.*

Notitia Imperii orient. *) in definiendis Aegypti finibus meridianis manifesto mendo laborat: „Aegyptus, omnium regionum fertilissima et opulentissima, — a meridie ultra Thebas et Meroën insulam ad cataractam Aethiopiae conjungitur,“ — paullo infra rectissime: „Thebais, tertia pars Aegypti, a Thebis usque ad Syenen meridiem versus porrigitur.“ — Pro „ultra“ si legeretur „inter,“ sensus quidem exstaret melior, sed male expressa esset finium descriptio; quare verba „et Meroën insulam,“ cum nullo modo defendi possint, ceteraque optime congruant, margini adscripta fuisse putamus. Philarum notitiam habes ibid. VII, p. 1699. „Legio prima Maximiniana Filis.“

*Arabum scriptores.*

In examinandis Arabum scriptoribus de Aegypti confiniis ea tantum consignanda censuimus, quae paullo uberiorem descriptionem exhibent. Jejuna enim et tenuia sunt, quae a plerisque traduntur **). Cum scriptores omnes Aegyptum ad Syenen claudant ***), Philarum Nubiae adscriptarum rarissima

---

*) apud Graevium VII, pag. 1638.

**) Abulfedae geogr. in Descr. Aeg. ed. Michaelis. p. 1.

وفي جنو بي ديار مصر بلاد السودان
حن النوب و غيرهم

et ab austro habet Aegyptus terram Sudan Nubarum aliorumque. cf. Edrisii Africa ed. Hartmann. p. 324. sqq.

***) Abd-allatif ed. Sylv. de Sacy. I, 1. In annotationibus ingenti cum eruditione conscriptis omnia de Aegypto memoratu digna invenies.

est mentio. Paullo fusius Aegypti et Aethiopiae regiones conterminas adumbrat Macrizius, auctor saeculi XV., antiquiorem historiographum Ibn-Selymum Syenensem saeculi X. secutus *). *Pars II. Macrizius.*

„Prima," inquit, „urbs Nubarum denominata est „El-Kaszer" (Burckhardto Philae), V. M. P. **) „a Syene distans; ultimum Mosleminorum praesi„dium collocatum est in insula Belak ***), a Nuba„rum urbe (Philis) M. P. remota. In urbe El-Ka„szer castra munita sunt, quasi introitus in Nuba„rum terram †). Rex Nubarum, Zacharyas, Ebn„Bahbas a Sultano petiit, ut praesidium moslemini„cum ab urbe El Kaszer (Philis), quippe quae in „terra Nubarum sita esset, ad fines regni removeret; „abnuit autem El-Motassem Billah Aly Ischak, Er„raschidi filius (840—849 p. Ch. n.)."

---

Ibn-el-Wardî Aeg. ed. Frähn. p. 39. واسان وهي اخر الطعيد الاعلي (et Assuán, quae ultima (urbs) Saidis superioris).

Geogr. Nubiens. ed. Gabr. Sionita „Aegyptiorum „navicula non ascendunt per Nilum nisi usque ad urbem „Asuan tantum, quae est terminus Sayd superioris."

*) apud Burckhardtum Travels in Nubia p. 493.

**) quali mensura usus sit Macrizius, in incerto est.

***) Ad hanc insulam, a Macrizio saepius nominatam, potius quam ad Philas referenda est Champollionis etymologia, a vocabulo Coptico Pilak „extremus" deducta. Aegre enim qui linguas orientales callet concesserit, e Philarum nomine literam K excidisse.

†) Pagus ex opposito Philarum, in ripa orientali situs, ubi Paschatis asservantur commeatus, hodie nuncupatur El-bab, porta vel introitus.

PARS II. Sed haec sufficiant ad determinandos Aegypti fines, quales variis temporibus fuerunt. Jam longiores in hac disquisitione fuisse videmur, sed diligentiam postulavit materiei ubertas. Tanta enim est Aegypti celebritas apud veteres, ut vix ullum scriptorem reperias, qui non Aegyptiorum mores, terrae indolem etc. paucis verbis tetigerit. Ex diversis, quae huc usque attulimus, testimoniis tantum efficitur, Graecorum narrationes, Diodori scilicet, Strabonis, Aristidis, bene inter se convenire; discrepare autem et errare maximam partem Romanos scriptores, Senecam et Plinium. Arabum scriptoribus in iis tantum fides habenda est, quae ipsi praesentes viderunt. Ibn-Batutam viatorem solertissimum illas regiones non adiisse, summopere dolemus.

*De populis in Aegypti et Aethiopiae confiniis.*

De populis, qui Aegypti confinia diversis temporibus tenuerunt, ne summas quidem res attingere possumus; quae de moribus et indole eorum ad nos pervenerunt, sparsa et dissipata sunt; de lingua plane nihil constat. Antiquissima aetate eundem populum — dicamus Aegyptiacum — Nili ripas inde a Meroë insula usque ad Aegyptum inferiorem occupasse, e monumentorum congruentia apparet; posteriore tempore, tabulis et annalibus nostris longe superiore, alia stirps, Aethiopica, interiora terrae usque ad cataractam Syenensem obtinuit. Ex qua aetate certa rerum notitia ad nos pervenit, Aegyptiorum et Aethiopum segregatio jam facta est. Herodotus ceterique scriptores Graeci populos acute discernunt. Postea Nubarum et

Blemmyorum nomina innotescunt, qui Romanorum aetate, Thebaidem incursionibus infestantes, multifaria clade afflicti sunt *). In Arabum scriptis populi Aegypto contermini constanter Nubae (نوب) vocantur, obscura autem est illorum historia per multa saecula. Superest, ut hodiernum statum, quatenus viatorum observationibus cognitus est, paucis adumbremus. Aegyptum inde ab Alexandria usque ad Syenen Arabes tenent, parvo Coptitarum numero intermixto; omnes autem lingua Arabica utuntur. Inter Syenen et Philas alia offenditur lingua, vocant Barabram, et diversa hominum stirps, Nubae, qui usque ad secundam cataractam Wadi-Halfensem pergunt. Sequitur stirps Dongolana, et lingua et corporum habitu a prioribus diversa; vastis desertis segregatur a regnis Schindi et Sennaar, in quibus lingua quidem est Arabica, mores autem et habitus ab Arabibus Aegyptiacis longe diversus. Ulteriora terrae usque ad Habessiniam incognita sunt. PARS II.

---

*Philarum historia.*

Denique ut insulae historiam breviter attingamus, florentissima fuisse videtur, quo tempore ob Deorum Aegyptiacorum cultum maximam celebritatem habebat. Eum autem non solum Pharaonibus regnantibus, sed etiam Graecorum et Romanorum

*) Plinii „Catadupos gentem“ haud insolito errore a Graeca cataractae denominatione originem duxisse censemus. (VI, 35. Hard.)

Pars II. temporibus, quamvis multo mutatum exstitisse, plurimis testimoniis confirmatum est. Postquam Christianorum increbuit doctrina et tota Aegyptus iis repleta est, non potuit, quin etiam Philis idolorum cultus relinqueretur templaque Aegyptiaca in aedes Christianas mutarentur. Documentum afferunt inscriptiones in laudem Theodori episcopi in pronai muro repertae. Num insula ipsa episcopi sedes fuerit, an alii episcopatui adjuncta, colligi nequit. Consecrationem templorum maximam partem quarto et quinto p. Ch. n. saeculo factam esse, historia ecclesiastica docet; jam tota paene Aegyptus ad fidem Christianam conversa erat, monachisque et anachoretis scatebat Thebais. In Nubia idolorum cultus diutius remansit, teste inscriptione Silconis *) reguli, quam Niebuhrius Justiniani aetati vindicat **). Sacrificia humana, a Blemmibus et Nobatis Philis habita, a Justiniano tandem sublata, memorat Procopius ***). Circa annum 700 p. Ch. n. Arabibus Aegypto jam potitis, Nubae ad patriar-

*) Inscriptt. Nubiens. apud Gavium. p. 7.

**) Ritterus in Geogr. I, 602 eam Constantini temporis esse suspicatur.

***) Procop. de bello Persico I, 19. ed. Hoeschel. *ἄμφω δὲ τούτω τὰ ἔθνη, οὔτε βλέμνες καὶ οἱ νοβάται, τούς τε ἄλλους θεοὺς (οὕςπερ ἕλληνες νομίζουσι πάντας) καὶ τήν τε ἴσιν, τόν τε ὄσιριν σέβουσι, καὶ οὐχ ἥκιστά γε τὸν πρίαπον· οἱ μέντοι βλέμυες καὶ ἀνθρώπους τῷ ἡλίῳ θύειν εἰώθασι. ταῦτα δὲ τὰ ἐν φίλαις ἱερὰ οὗτοι δὴ οἱ βάρβαροι καὶ ἐς ἐμὲ εἶχον, ἀλλὰ βασιλεὺς αὐτὰ ἰουστινιανὸς καθελεῖν ἔγνω. ναρσῆς γοῦν περσαμένιος γένος — τά γε ἱερὰ καθεῖλε, βασιλέως οἱ ἐπαγγείλαντος, καὶ τοὺς μὲν ἱερεῖς ἐν φυλακῇ ἔσχε, τὰ δὲ ἀγάλματα ἐς βυζάντιον ἔπεμψε.*

cham Alexandrinum, caput ecclesiae Africanae, tunc temporis e Jacobitarum secta electum, miserunt, qui episcopos peterent, et exinde Nubae doctrinam Jacobiticam amplexi sunt *). Inde ab anno 653 p. Ch. n., quo Moslemini, duce Aly Sarh, primum bellum contra Nubiam moverunt, usque ad annum 1296, quo Dhaher Bibar Aegypti Sultanus Nubiae metropolin, Dongalam, occupavit, regio circa cataractam Syenensem continuis incursionibus infestata est, Philaeque prima urbs hostibus utrimque accedentibus patuerunt. Incolas Christianos partim insula expulsos, partim ad fidem Mosleminicam conversos esse, ex eo concludimus, quod illa conversio omnium bellorum ab Arabibus gestorum caussa et finis fuit. Attamen mirati sumus, inter Arabum tuguria nusquam aedem Mosleminicam, cui Meschitae nomen, in insula inveniri, ne dirutae quidem vestigia. 

Inde a saeculo XIII., quo Nubia omnis debellata est, Sultani Aegyptiaci regiones cataractae circumjacentes peculiare praedium sibi vindicarunt **), cui praesidio monumentorum Philensium conservatio tribuenda est. Postea per multa saecula nullum illarum regionum nuntium habemus, donec viatorum recentiorum opera notitiae aliquae ad nos pervenerunt.

---

*) Macrizii Hist. Copt. ed. Weter. p. 99.

**) Usque ad nostram aetatem haec institutio remansit; omnesque pagi, inde a Birbe, e regione Philarum, usque ad Syenen in Nili ripa collocati, literas Sultani peranti-

Pars II. *Viatores recentiores.*

Praetermissis, quae peregrinantes saeculi XVII. tradiderunt, plerumque incerta vel cum falsis mixta, primam Philarum accuratam notitiam dedit *Frid.* Nordenius *), qui anno 1737 permeata Aegypto magna cum perseverantia usque ad oppidum Nubiense Derr processit. Tabulam insulae exaravit, neque tamen quae rectum monumentorum situm ostendat. Varios Philarum prospectus et singulas templorum partes expressit tabulis 136—138. 140—144. Cum per unam tantum noctem ibi remanserit, die sequente a Nubis fugatus, magna diligentia quaeri non potest in tabulis. Nullos ille incolas in insula reperit. Eodem anno Rich. Pocockius Aegyptum superiorem visitavit, magnique templi Philensis tabulam proposuit, addita monumentorum uberiore descriptione **). Neque hic vir egregius diu ibi commoratus est, sed Arabibus infestatus furtim quasi templa visitavit et dimetitus est, id quod delineationi etiam detrimentum intulit. Idem in Denonium ***) cadit, cui inter tumultum militarem perscrutanda fuit insula. Postquam per triduum Francogalli Philas obsidione presserant, quarto die, ratibus constructis Nilum transgressi, ceperunt, incolis, quibus referta erat insula, trucidatis vel fugatis. Quam Denonius proposuit tabulam (Pl. 70), mul-

quas habent, praesidii ferendi testes, ideoque ab omni vectigali et stipendio immunes sunt.

*) Norden Voyages ed. Langlis. Paris 1795. 4to. Tom. III, p. 33—36.

**) R. Pococke a Description of the East. Vol. I. Pl. XLIX. pag. 120—121.

***) N. Denon Voyage en Egypte. Paris 1802. fol.

multis locis a vero aberrare perspeximus; accuratior est monumentorum descriptio (pag. 161 — 169). Nili ripa, a Philis meridiem versus, illo tempore ita incognita erat, ut Denonius (pag. 163 et 164) diceret: Aegyptios in confiniis meridianis, Philis scilicet, magnum numerum monumentorum splendore insignium ea de caussa aedificasse, ut Aethiopibus, a meridie advenientibus, nitidum specimen exhiberent magnificentiae et opulentiae Aegypti; — quasi magnum templum Nubiense, ad oppidum Kalabscheh, unius diei itinere a Philis distans, templa Philensia non ornamentorum pulchritudine aequaret, magnitudine autem longe superaret? Lancreti liber, a Jomardo absolutus, quo magna expeditionis Gallicae descriptio Aegypti incipit *), copiosissimam enarrationem continet, quae tamen non omnibus partibus eadem diligentia conscripta est; de tabula generali et de singulorum templorum delineationibus, quae monenda censuimus, jam supra commemoravimus. Aegypto a Francogallis relicta, Hamiltonius **) Anglus anno 1801 Philas visitavit, earumque luculentam edidit descriptionem, maxima solertia Graecis templorum inscriptionibus collectis, nonnullis etiam explicatis. Breviores notitias offendimus apud Burckhardtum ***), Belzonium †), alios multos. Pars II.

*) Michelange Lancret Déscript. de l'île de Philae.

**) Hamilton. Aegyptiaca. London. 1809. pag. 43 — 53.

***) Burckhardt, Travels in Nubia. I, p. 4 — 6.

†) Belzoni Narrative of the Operations etc. pag. 199 — 203. 357 — 363.

Anno 1813 viator Legh *) Anglus Philarum incolas admodum bellicosos refert, pugionibus et hastis armatos se vidisse, eorumque laudat dexteritatem, qua, scutis ingentibus obtecti, hostium impetum facile sustinuerint. Postea incolarum numerus multum imminutus est in bellis Mohametis Aly contra ferocissimos Aegypti oppressores, Mamluccos, et remotioris Aethiopiae Schindi et Sennaar reges. Philenses enim, quippe cataractae peritissimi, a Paschatis filio, Ibrahimo, una cum omnibus cataractae accolis, ad classem per scopulos transferendam arcessiti sunt. Qui jussum obtrectabant, a militibus partim trucidati, partim domibus ejecti sunt; qui obtemperabant, navibus ad secundam cataractam Wadi-Halfensem deducti, ibi propter navigandi in loco remotiore inscitiam maximam partem una cum navibus perierunt, reliquos belli fortuna abripuit. Nobis, insulam visitantibus anno MDCCCXXIII, tres anus obviam venerunt, solae inter magnitudinis Aegyptiacae rudera relictae.

Aegypto Mohametis patris clementia et fortitudine pacata, et Nubia Ibrahimi filii virtute ita debellata, ut latronum nullus metus esset, Philae multis viatoribus prae ceteris Nili urbibus gratae fuerunt, propter incredibilem situs amoenitatem et expeditam antiquitatum copiam; sed peregrinantium frequentia factum est, ut permulta monumenta ablata sint: Anno MDCCCXVIII Belzonius obeliscum, ante magnum templum collocatum, inscriptione

*) Legh Travels in Egypt. and Nubia, pag. 51.

Graeca insignem, amolitus est, qui nunc in Anglia villam clar. Banksii exornat; paullo post Saltius Anglorum proxenus sacellum monolithum e cellae conclavi removit, in quo auferendo portae lateralis (f) sculpturae omnes a servis deletae sunt; alterius sacelli asportandi consilium ceperat Francogallus Laurentius, Zodiaci minoris Tentyritani expugnator; num propositum peregerit, haud comperimus. Quid, quod Franci nonnulli inter se convenerunt, totam insulam ruinis purgare et antiquitatis reliquias ibi repertas inter se dividere; quod prospere eventurum esse speramus! —



BEROLINI, TYPIS GUILELM. SCHADII.

## Corrigenda.

Per magnam ejus incuriam, qui, antequam excuderetur, libellum nostrum describendum habuit, factum est, ut plurima orta sint menda typographica, quibus corrigendis, itinere multisque negotiis districti, non vacaveramus. Forte fortuna haec nobis indicata sunt:

pag. 7 lin. 21 lege: appellant pro appellent.
— 9 — 8 — exadversum pro ex adversum.
— 14 — 9 post conjicias excidit lineola haec: quod modo diximus, et certissimum est, nempe id.
— 18 — 19 lege summo pro summa.
— 21 — 1 ante quibus insere in.
— 29 — 3 post scalae pone comma.
— 46 — 21 pone comma post redieris, tolle post scalas.

Plura anquirere, jam non integrum est. Ceterum frequentissime peccatum videtur in commatis ponendis.




C. Brügnerus sculp! Berolini 1830

[redacted]